

*[Faint, mostly illegible handwritten text in a medieval script, likely Gothic or similar, covering the majority of the page. The text is arranged in several columns and includes some red initials and underlines.]*

Communicata  
in decem



M-s. 1297

an f.

R

2197.6

F. A. H. Maxß  
1831 cho

P V G N A R A  
N A R V M A C M V R I V M H O  
M E R I L A T I N O C A R M I N E

REDDITA ET AM-  
PLIFICATA,

A V T O R E  
H I E R O N Y M O O S I O,  
Turingo.



V V I T E B E R G Æ  
E X C V D E B A N T H A E  
redes Petri Seitzij.

1 5 5 6

Clarissimo Viri D. M. Sebas-  
t. Mathematicum professori &  
praecceptorij cariss: —

CLARISSIMIS  
ATQVE AMPLISSIMIS VIRIS  
VIRTUTE ET PRVDENTIA PRAE-

stantibus D. Consulibus ac Senatoribus in  
incluta Vrbe Islebia.  
S. D.

**I**N omnium ferè manibus uersatur in primis erudi-  
tum ac suaue Homerì scriptum, cui, quia belli inter  
Ranas ac Mures mirabili casu moti descriptionem con-  
tinet, βατραχομνομαχία titulus est.

Illud equidem opusculum etsi fieri potest ut ab in-  
eruditis ob breuitatem, & quòd res commenticias, fa-  
cetasq; tractat, futile ac utilitatis penè nullius figmen-  
tum existimetur ac contemnatur, tamen eos, quorum  
hæc est sententia, crassè hallucinari uel doctissimorum  
quorumcunq; hominum suffragia testantur & affir-  
mant.

Vt enim perspicuitatem, elegantiam ac dignitatem  
orationis, qua poëma hoc ab Homero scriptum atq;  
illustratum est, prætereã, ac de uariarũ rerum appellati-  
onibus, quas alijs in scriptis eius reperire facile non est,  
item de eruditis concinnisq; uocabulorum insignium  
compositionibus, iam nihil dicam, illud potissimum  
hoc loco considerandum iudico, quo nam consilio ac  
argumẽto Homerus hanc βατραχομνομαχίαν scripserit.  
Temerè ne hoc ac poëtico more ludendi, animumq;  
istiusmodi genere oblectandi gratia sit factum, quam  
\* in cogita

cogitationem multos de hoc poemate ut omnium fe-  
stiuissimo, ita longè eruditissimè ac sapientissimè com-  
posito habere non est dubium. Illis ego, si meum offi-  
cium esset, responderem, ac eos monerem, ut de huius  
poëtae, quem Philosophi sapientiæ patrem appellare  
non sunt ueriti, scriptis reuerentius sentirent, & prius  
quam de eis iudicarent, attentius illa legerent, cognos-  
cerentq̃, & fore considerem, ut de poemate hoc, quod  
pugnam Ranarum ac Murium describit, aliud sapi-  
entius, ornatius, præstantiusq̃ carmen hætenus me-  
moriæ proditum non esse, ipsi quoc̃q̃ affirmaturi essent.  
Qua enim sapientia in inuentione ac tractatione hu-  
iuscemodi argumenti, qua industria in rerum saga-  
cissimè excogitatarum compositione ac illustratione,  
quo deniq̃ ingenij diuini acumine in totius materiæ  
expolitione, usus poëta fuerit, attento lectori ani-  
maduertere difficile aut obscurum esse haud existimo.  
Adeò enim uerum hoc ipsum est, ut neminem non  
eruditorum idem affirmaturum mecum esse confidam.  
Quod uidelicet ex hoc solo carmine, βατραχουμουσική  
αε, si alia duo præclarissima eius opera, Iliada & Ody-  
sæam ætas nostra non haberet, uestigia diuino adflatu  
concitati atq̃ ornatij appareant, quæ nos de  
excellentiâ, ubertate ac nitore uersuum uenæq̃ Ho-  
mericæ, qua facile cæteris omnibus, non modo poë-  
tis, sed & Philosophis, præferri debeat, admonere  
possint. Nam quod ad inuentionem huius scripti  
attinet, non uideo, utrum eruditione ac sapientia ex-  
cellentius opus hoc ipso, quod bestiarum brutarum  
certamen, dimicationemq̃ comprehendit, ab ullo alio  
uatam unquam editum monstrari possit. Adeo  
enim omnibus ingenij ornamentis hoc breue ac con-  
cinnum

cinnum scriptum abundat, ut quicquid ab excellentissimi hominis animo requiri aut præstari queat, id omne in huius argumenti tractatione absolutissimum deprehendas.

Initio scripti adolescentium simplicium Physignathi & Psicharpagis, qui de paterno imperio, de opibus, & aulicis delicijs inuicem æmulatione quadam controuertunt, congressus colloquiumq; continetur. Quemadmodum id & nostris pueris usitatum esse experimur, ut, quacunq; occasione uel ludendi uel consuetudinis gratia congressi fuerint, ridiculis modo nouarum uestium, modo equorum, canum paternorum ostentationibus inter sese certent, & alij alijs ornatiores, felicioresq; uideri conentur, ad quod pictura hæc allusio quædam esse potest & significatio: Homines stulta honorum, diuitiarum, ocij, luxuriæq; ambitione delectari, & eam ob rem non raro in tristes ac tum sibi ipsis, tum toti Reipub. perniciosas calamitates incidere, alijsq; sua petulantia pericula accersere, id quod Physignathi & Psicharpagis infaustam & paulò post utriq; exitio futuram amicitiam contrahentium imago luctuoso euentu designat.

Hi enim cum casu ad ripam fluuij, cuius alter lege hæreditaria dominio potiebatur, ut antehac ignoti conuenissent, alter alterum Regali consuetudine excipit, eiq; de aduentu honorificè gratulatur, ac de patria, de stirpe, unde ortus sit, interrogat, & ei uicissim de suarum rerum statu ostentatione puerili communicat, donec tandem Psicharpax adolescens recens conciliati amici Physignathi suasu ac blandicijs adductus, se illi comitem fore, & ad Regiam, quam diuitijs, magnificoq; apparatu instructissimam ipse iactauerat, unâ  
tergo

tergo eius inhaerentem aditurum reciperet, & utrinque  
data dextra iter commune fore, undæ se crederet.  
Qui cum natura aquæ impatiens esset, et à uectrice Ra  
na metu Draconis, qui immani corpore & horribili  
aspectu se obuium illis inter natandum tulit, affixus  
illius dorso undis immergeretur, in uitæ discrimen ex  
tremum adducitur.

Sic dum Felis tyrannidem, qua hoc genus in tera  
ris assidue & crudeliter exercetur, uitare conatur, usi  
tata & assueta pericula effugere dum uult, maiora his  
multò & extrema miser incurrit. Eodem modo se res  
rum humanarum conditio habet. Multi dum pauper  
tatem fugiunt, ac præter uocationem præsidium uitæ  
ac splendorem appetunt, accidere sibi idem, quod huic  
Muri, experiuntur. Hi enim dum illicitis artibus  
ac alienis à uocatione, diuitias, honores, nomenque ue  
nantur, non modo illorum, quæ possidebant, & quibus  
tranquillè frui poterant, sed & ipsius uitæ naufras  
gium faciunt. Vnde uersiculus, Incidit in Scyllam  
qui uult uitare Charybdim, natus uidetur.

Etenim temerè aut ultra uires, aut à proprio cui  
usque officio quicquam tentare aut incipere cum contra  
mandatum Dei, tum periculosum ac infelicissimum est,  
ut apud Sophoclem Ismene rectè & eleganter monet,  
inquiens: τὸ γὰρ πρῶτον πειρῶσα οὐκ ἔχει νοῦν οὐδένα,

Porro quod postea ob Physignathi perfidiam, qua  
datam hospiti fidem uiolat, uniuersa gens Ranarum à  
Muribus atroci bello uexatur, ac ingens strages utrius  
que frequenti exercitu instructo editur, signifi  
catio est: Non raro ob unius scelerati hominis delictum  
seu scelus integras regiones diuina gubernatione ac  
ultio,

ultione eueri, quemadmodum illud eruditè in uersiculo Heliodæo, πολλάκι Ἰβὺς ξύμπασα πόλις κακῶν ἀνδρῶν ἐπαυρεῖ, expressum est. Eius rei cum omnes historiarum exemplis abundant, tum illud allegoria huius picturæ significat ac declarat.

Præterea autem quod Physignati facinus à Lichopinace Mure, qui tum temporis casu in ripa animi gratia deambulat, patet, & ad Regem Troxarten, qui extitit iuuenis genitor erat, defertur hoc uoluisse poetam consentaneum est, uerum esse illud, quod experientia testatur: Atrocità delicta diuina prouidentia manifestari, & atrocibus pœnis regulariter affici. Huius regulæ cum ubiq; exempla obuia sint, tum hoc historia Ibyci cuiusdã luculenter confirmat. Qui cum aliquando iter per nemus faceret, & de improviso à latronibus ob pecuniam, quam tum secum gestabat, obrutus, id ob argentum fieri animaduertit, totum illud lubens, ut uitam liberaret, eis obiecit, ac ære dato supplex incolumitatem corporis petijt. Sed illi cum parcere ei metu, ne, si superstes Ibycus mansisset, latrocinium alijs fieret manifestum, nolent, in has uoces ad extremum erupisse fertur: Me miserum, licet nunc à uobis uiolenta cæde obruar, & miserabiliter peream, tamen hæc grues (uolauerant enim tunc illæ aues supra caput) doctrices aliquando, cum uos minimè hæc luendi pœnas cura sollicitabit, fato meæ necis futuræ sunt. Hæc Ibycus interfectoibus suis moriens comminatus fuisse dicitur, quæ & re ipsa ita accidisse postea exitus comprobauit. Nam & prædatores hi cum quodam tempore multis annis post interfectum Ibycum in taberna uinaria belluarentur, & alter eorum ebrius infelici casu uolitantes in aëre grues conspiceret, nihil

A metuens



metuens quod euenturum paulò post esset, ad com-  
bibonem, quem ad se uocauit: En Ibyci testes, cla-  
riore uoce dixit, Hæc uerba cum quidam, cui no-  
men Ibyci antea plurimum notum fuerat, animado  
uerteret, & rem diuino instinctu altius secum re-  
peteret, & cum alijs de interitu Ibyci quædam in-  
ter homines suspicio esset, ad Magistratum id, quod  
acciderat, celeriter defert. Magistratus subito missis  
unâ licitoribus in carcerem conijci & torqueri helluo-  
nes hos curat. Quo factores, quam diu perscrutari ne-  
mo ualuerat, diuino impulsu manifestatur & illi ad  
supplicium, quod procul iam securo animo abesse  
cogitauerant, ducti, tandem Ibycum hæc futura  
prædicentem mentitum aut hallucinatum non fuisse  
haud sine exitio uitæ suæ experiuntur. Ita uere ac-  
cidit eis, quod in Tibulli uersibus dicitur:

Ah miser & si quis primo periuria cæsat,  
Sera tamen tacitis pœna uenit pedibus.

Hanc historiam ideo recito, quod sententiæ:  
Atrocia delicta atroces pœnas comitari, illustre testi-  
monium sit, & explicationem allegoriæ huius decla-  
ret, iuxta dictum:

πάντα ἰδὼν Διὸς ὀφθαλμοῖς καὶ πάντα νοήσας.

Deinde uero et hoc exemplū Physignathi significat:  
Non solum in autores cœdium aut aliorum scelerum  
horribiliter diuinitus animaduerti, uerum etiam totas  
politias sæpenumero (ut diximus) ob unius culpam  
uastari, & subditos unâ ob Tyranni gubernatoris im-  
pietatem tum facultatum, tum ipsius uitæ in discrimen  
adduci, ut dicitur:

Quicquid

Quicquid delirant Reges plectuntur Achiui.

Hanc enim doctrinam exemplū Phylignathi, qui regius fingitur adolescens, & qui suo facinore toti patriæ magnarum calamitatum causa existit, continet. Rex enim Troxartes cœde, qua gnatus regni unicus hæres interierat, cognita, ira atq; luctu acerbo commotus, bellum continuo aduersus Ranarum tyrannidem decernit, ingentesq; copias ad uindicandam necem filij undiq; colligit, et armatura cōuenienti aduersus impetum hostis instruit ac præmunit. Ita facinus unius causa luctuosissimi belli & exitij multarum Ranarum, nec non Muriū, dum acriter utrinq; collatis signis dimicatur, extitit.

Et est hæc tota descriptio pugnae inter duas gentes suceptæ, nihil aliud, nisi figura ac typus aliquis humanarum rerum, quæ hoc modo reuera se habent:

Sæpe ex leui occasione ac principio aut praua conuersatione omnino multa eiusmodi accidere uidemus, quæ postea tum ipsis autoribus, tum toti communi rei exitiosos tumultus excitant, quibus cum Tyranni inter sese sæuiunt, & imperia turbant, tandem Deum ad iustam iram commouent, qui misso fulmine, hoc est, diuina gubernatione ita eos dispescit, ut iam periisse se penitus intelligant. Sicut illud ipsum clarissimus ac reuerendus uir Philippus Melanthon in uersiculis suis & eruditè & sapientissimè expressit:

Aspicit hæc uindex oculis Deus omnia iustis,  
Nec graue cum sparget fulmen inermis erit.

Ranarum Rex Mures in expeditione esse nuncio ac

A ij

cio ac

cio accepto, concilium, in quo de defensione patriæ  
ageretur, collectis proceribus populi instituit, in  
quo dum deliberatur, quæ causa odij Murium erga  
Ranas sit, & utrum iniuria aliqua, quamobrem nunc  
bellum moueant, affecti fuerint, quam autor metu  
supplicij cælet, inquiritur, præco à Murium Rege  
ad eas missus rem ignotam antea patefacit, & Phy-  
signathon huic incendio causam perfidia præbuisse, &  
Regis Troxartæ filium aquis submersisse demonstrat.  
Hic uerò cædis as simulatus inficiatione uix tandem,  
quin Rans in eum ira accensis isto momento tem-  
poris pœnas det, se liberat ac tuetur, dum commen-  
ticiam esse Murium accusationem, & hoc mera ex in-  
uidia accidere affirmat. Hoc furo Ranae dece-  
ptæ ac persuasæ se contra Murium exercitum ar-  
mant, ac pristinae libertatis defensionem pariter in-  
structo ingenti exercitu suscipiunt, unde & acerrimo  
conflictu dimicant, donec Ranarum exercitus debi-  
litate prælio uiribus à Murium impetu profligatur ac  
tandem desperata uictoria fugam capessit, qui & pe-  
nitus deletus ab insequenti Murium exercitu fuisset  
nisi Iupiter Gentis fugatæ commiseratus auxilio Ra-  
nis Cancros, qui & robore & naturæ instrumentis ad-  
arcendum hostes instructi erant, excitaret.

Illis enim cum brachia forcipibus præfixa, & testea  
terga forent, caudas suas Muribus hi inciderunt, inq̃  
fugam maximo uirium impetu tumultuq̃ celeriter con-  
uerterunt, ita pugna non sine ingenti clade utrorumq̃  
finem consequuta fuit. Idem accidere Tyrannis uide-  
mus, qui dum bella nulla de causa cient, & omnia con-  
turbant ac uastant, Deus qui uindex est scelerum, can-  
cros

eros id est, pios ac pacificos gubernatores excitat, quorum labores fortunat & adiuuat, hi diuino auxilio freti & adiuti Tyrannorum publicam tranquillitatem ac salutem turbantium uim ac crudelitatem euertunt. Quod hac illustri pictura Homerus procul dubio, & multa alia, quæ hinc recitare longum foret, & quæ doctorum uirorum iudicijs considerata relinquo, exprimere uoluit. Neq; enim mihi hoc sumo, ut meam illam interpretationem huius allegoriæ ullius docti uiri censuræ satisfacturam esse existimem. Sed illam, quam adhibeo qualemcunq; explicationem, candidus ac eruditus lector (Sycophantarum enim, qui nisi quod ipsi egerint, nihil recte fieri putant, iudicium tanti facere uelim, quanti ipsi aliorum labores æstimant) boni consulet, & ut spero sua æquitate meam infantiam ac tenuitatem excusabit, & industria ornabit. Pro hac erga me beneuolentia ac uoluntate ei mutuum officium & gratitudinem meam prolixè polliceor.

Cum igitur magna huius βαρβαρονομαχίας suauitas sit, & ad adolescentiam poëtices studiosam non contemnenda utilitas ex ea, si diligenter cognouerint, redire posse uideatur, utilem operam fore speraui, si illud poëma ex græco Latino carmine prolixius uerterem, præsertim cū istud proxima æstate discipulis meis, quos delectari hac materia intelligebam, priuatim enarrassem. Cum autem res, quæ in hoc toto scripto Homeri mirabili modo ac sapientia tractantur ac ornantur, multiplices allegorias penè singulis uersibus inuolutas contineant, quæ uirorum prudentia ac eruditione excellentium iudicium ac intellectum requirunt, uobis Clarissimi & uirtute ac prudentia ornatissimi uiri D. Consules ac senatores, quorum & summa in Respub.

pub. autoritas, dignitas, & excellentia est, has meas  
qualescunq; lucubratiunculas dedicare, & sub uestro  
auspicio & patrocinio publicare libuit, tum quòd in-  
dustrios ac beneuolentissimos mearum operarum  
censores, tutoresq; uos habiturum me scirem, tum eti-  
am quòd mihi uestra erga literarum studiosos singu-  
laris beneuolentia ac humanitas, qua eas ornatis ac  
fouetis, ignota minime esset. Præterea etiam hanc  
præcipuè ob causam quòd me non fugeret, quàm ho-  
nesta ac præclarè uestra in urbe, quam uos uestra  
authoritate, uirtute, grauitate & communium rerum  
utilitate sapienter gubernatis ac regitis, utilibus  
legibus atq; disciplinis instaurata & constituta Res-  
publica esset, cui & hoc haud uulgare ornamen-  
tum ac laus accedit, quòd in ea laudabiliter instituta  
schola floreat, cui cum præfectus sit uirtute ac erudi-  
tione singulari præstans uir D. Magister Iohannes  
Rot, eam gubernat præclarè, & Iuuentuti Græcæ  
ac Latinæ linguæ & artium dicendi elementa non  
inutiliter tradit & uobis ob eruditionem ac fidem in  
informando adolescentiam carus est, unde & liberali  
ac his laboribus digno stipendio à senatu inclytæ ur-  
bis Islebiæ ornatur.

Deinde & illam laudem priore nihilo inferior-  
rem, sed præstantiorem uestra ciuitas consequitur,  
quòd in ea non modo Reipub. status laudabilis ui-  
geat, uerum etiam doctrina Euangelij, ut in Prophetis  
& Apostolicis scriptis & ab ipso filio Dei tradita  
& patefacta est, uera ac incorrupta in Ecclesia uestra  
doceatur & propagetur, ita ut hac laude facile  
quauis cum alia ciuitate certare posse uideamini. Nam  
ut & hoc modo præteream, quòd uestra ciuitas reue-  
rendum

rendum ac diuino ingenio ornatum & excitatum uirum D. Lutherum cœlestis doctrinæ iam tum Diaboli præstigijs oppressæ & obscuratæ restauratorem protulerit, quæ res perpetuam ei laudem apud omnes pios adfert, hanc tantam fortunam ac gloriam gratulandam uobis & pro hoc summo beneficio Deo maximas gratias agendas censeo, quod hunc uirum uestra urbs alumnum habuerit, & quòd hæctenus ab ijs uiris, quorum & summa autoritas, eruditio & uirtus est feliciter & præclare gubernata atq; ornata sit. Et nunc clarissimo uiro, qui præcipua dignitate, uirtute, ac eruditione excellit, D. Erasmo Sarcerio gubernatore ac superintendente ceu lumine ac columna status sui utatur. Nec uero solum hunc uirum hoc tempore doctrina & autoritate excellentem habet, uerum etiam doctissimum uirum M. Hieronymum Menzelium, & M. Andream Merckerum, aliosq; uirtute ac prudentia præstantes homines tum in Reipub. tum Ecclesiæ regimine ciuitas uestra spectat, quorum consilijs ac industria regitur & suauiter fruitur.

His luminibus cum Respub. uestra ornata atq; instructa esset, fieri posse mihi persuasi, ut uos meæ lucubratiunculæ, quam uestro patrocinio publicare non sum ueritus, beneuolos censores, tutoresq; habiturus essem. Pro quo officio ego uobis clariss. uiri, meam operam, studium & gratitudinem perpetuam omnium cum obseruantia & reuerentia promitto. Ac oro Deum conditorem cœli ac terræ & generis humani, patrem Domini nostri Ihesu Christi, ut uos, ciues, iuuentutemq; uestram Spiritu sancto suo regat, & Ecclesiæ ac Reipub. felicem porrò ac tranquillum statum atq; regimen & mutuam utilemq; uobis & subditis

subditis concordiam clementer concedat, uestraq; con-  
silia ad nominis sui gloriam, & ad Ecclesiae ac Reipub.  
salutem Spiritu suo sancto dirigat, & in hac rerum  
tempestate ac ruinis pro paterna sua bonitate conser-  
uet ac tegat, & Turcae aliorumq; Tyrannorum saeu-  
tiam ac Latrocinia clementer a nobis auertat. Ac ue-  
strae urbi huius noui totius anni faustum felicemq;  
cursum, statumq; rerum tranquillum ac salutarem tum  
uobis tum ciuibus uestris benigne largia-  
tur ac concedat. Valete Anno 1556.  
die 22. Ianuarij.

**V. Excellentiae**

**addictis;**

**Hieronymus Olus  
Schloteimensis,**



INSIGNE INCLYTAE  
VRBIS ISLEBIAE.



His donata suo pennis Islebia fato  
Effert eximium laude sub astra caput.  
Ritu Aquilaeq; leuans per libera nubila famam  
Hoc uirtute decus clara tegente uolat.  
Hæc Aquila ingenij est diuinus honore Lnterus,  
Hæc quo matre satus nescius urbe mori est.  
Gloria cui tali uictura uirescet alumno,  
AEuo dum mundi lassa senecta ruat.  
Crescet utriq; uigens quæsit splendor honoris,  
Dum nocte alterna certat in orbe dies.



PHILIPPVS MELANTHON.

Mus brevis & saliens in gurgite Rana palustri,  
Dum nulla caussa praelia stulta cient:  
Fulmineo pugnas Iouis ira fragore diremit,  
Et tandem fugiens agmen utrunq; perit:  
Sic modo dira serunt ex bellis bella Tyranni,  
Nec res, sed caecos armat utrinq; furor.  
Pestiferiq; magis Thebana Sphinge Sophistæ  
Verba uenenato friuola felle linunt.  
Aspiciat hæc uindex oculis Deus omnia iustis,  
Nec graue cum sparget fulmen inermis erit.  
Gnate Dei bonitate tua mala tanta leuato,  
Et serues coetus Christe regasq; pios.

ΕΠΙΓΡΑΜΜΑ τῷ ἀναγνωστῇ.

Ἀργαλέοι θεῖοι μεταφράζου ἄσματος Ὀμήρου,  
ὄφρα δ' Ἑλλήνων ῥῆμα παλαιῶν ἔχη.  
μὴ Ἡράκλει πέλεκυ λαβέειν χαλεπώτερον εἶναι,  
ἢ ἀθώδην μεγάλην Ζηνί κεραυνὸν ἔλθην.  
ἢ μακρὸν λαβέειν συγερῶ δ' ἕξασθαι Ἀθήναι,  
ἢ χεροῖν ἐλεῖν πικρὸν οἶσον εἶναι.  
οὐ μὲν ἀνδρὸς πᾶσι δὴ διαβάλλει ζωὴν ἑάσσει,  
πάντων φησὶ Τιμῆς ἄξιον εἶναι ἀνθρώπου.  
οὐ κλέειν εἰς κόσμον ἀτέλεστον Τέρμαθ' ὄρισεν,  
οὐ μνήμην τ' οὐδεὶς ἐξεχάραξεν ὁ χρόνος.  
ἢ πατρίε χαίρει χαριέασθαι εὖ χαίρετε μάστα,  
φήμω αἰδῆναι πατρίδος αἰῶνα ἔχει.  
τοῖνυρ ἅπασιν τοῦτ' ἀρετῆν τὸ ἀνδρὸς ὀφέλλει,  
θῆρα τε εὐφημαῖς πρήγματ' ἀυξάνει.

\* ij

μομειδῆς

μωμφοῦς τινὸς ἐς' αὐτὰρ καλοῖε ἀκολυθηῖν,  
οὐ τινὸς ἀλλὰ μόνον σύμφρονον ἐς' ἀνέρος.  
φθίφύσεως τελέθει καλῆς τάδε καλὰ φιλείας,  
ἀλλὰ κακῆς φύσεως παντὰ μὲν αἰχρολογῆν.  
ἀλλὰ θεὸς δώσει αὐτοῖσι κριμα δίκαιον,  
ἴθι' ὅ μισθ' παντ' ἀδικαῖα θεός.  
ἄνδρα θεὸς τοῦτ' σῶζει ἐς νέσοισιν οὐδ' οὐκ,  
ὡς ἄδ' ἔμ' ὑμῖν πολλὰ δύνατο γέρον.  
μὴ σκολιοῖσι λόγοις ὦ Ζεῦ ἄνδρα μιάνει,  
ἔσθ' ὁ φίλος μισσαῖς ἔσθ' ὁ φίλος σε δεῶ.  
ἀλλὰ χάριμ μεγάλην εὐφήμει ἀνδρὶ ἀρίστῳ,  
ἰδρῶντος χαρίτως σὺ δ' ἀπόλαυε πόνον.

M. Clemens Kelner  
Islebiensis.

Καίτοι \* \* \*



# PVGNA RANA RVM ET MVRIVM.

**B**ella Gigantæis æquandum uiribus ausum,  
Musa per undenos emodulare pedes.  
Martia, funestis quæ, uis, exercuit armis,  
Quæ cum Mure fugax Rana minace gerit.  
Occupet illorum quò fama uolucris orbem  
Passibus, & Phœbi tangat utramq; domum.  
Vincere onus tantum ualituras suffice uires  
Arte potens Clarij rector Apollo chori,  
Aetheriumq; sacro prome ex Helicone uigorem,  
Gratus ab adflatu spiret odorq; tuo.  
Gratia melliti tua uersus suggerat usum,  
In quo uirgineus luceat arte decor.  
Fac superet tantum Duce te mea cura laborem,  
Ne subitura recens colla fatiget onus.  
Materia hæc quoniam uel magno æquanda Maroni  
Ingenij exuperat uilia dona mei.  
Sed si mente uigor mihi deest sit fausta uoluntas,  
Numine conatus mentis amante pios.  
Ergo fatigantis causas duo regna tumultus,  
Marteq; turbantis, Musa, furente, refer.  
Principium pugnæ, finemq; cruore madentis,  
Auspice, sic recinas, cuncta regente patre:  
Tempus erat. Stygias quo Sol remouere tenebras,  
Pro gelidæq; diem reddere nocte solet,  
Mittitur ad Ranas irato nuncius hosti,  
Indice quo discunt bella gerenda sibi.  
Flebile securis, nam bellum indicere, facti,  
Occultumq; scelus pandere iussus erat.

B

En de

Rege sati interitum, quem nondum fama canebat,  
Ignaris aperit nuncius ore mali.  
Atq; harum insidijs orbatum hærede rogatum  
Regnum, in perniciem Muribus esse probat,  
Conspirasse ideo uiolatam in prælia gentem,  
Ultricesq; necis Marte parare manus.  
Roboraq; in Ranas, domituram aduersa, moueri,  
Præsidio fiam iura tegente Deum.  
Quare uel uictas fuso sine sanguine dextras  
Cedant in iussi uincula sæua iugi.  
Obuia uel turmis ducant pugnare paratis  
Cincta pharetrato milite castra, monet.  
Sed stimolata minis uires audacia sumit,  
Cedere quas patriæ nescius armat amor.  
Mures, quos sociat fera conspiratio, Ranae  
Finibus à uetitis abstinuisse monent.  
Affectare uelint nisi idem cum Mure periculum,  
Quem leto rabies obruit atra freti.  
Efferat gens illi sed ui parere recusans,  
Cum ualido armatas conserit hoste manus.  
Fit fragor arma quatit crepitantia Martius ardor,  
Et fidum focis robur utrisq; mouet.  
Cum clamore grauis surgente sub æthera crescit  
Pugna, uagoq; ictu nubila pulsa sonant.  
Hinc prostrata cubant tot penè cadauera terris  
Squallida, quot Ranae, stagna nataa gemunt;  
Vere leuesue nouo uolitant quot in aëre muscæ,  
Aut illo pisces tempore gurgis habet.  
Aut quot Athon lepores, quot apes Hyblæa pererrant,  
Aut iuga syluarum, quot, nemerosa, feræ.  
Quotue secant liquidum pernicipibus aëra pennis,  
Sydereisq; plagis conglomerantur aues.

Tot

Tot (si uera canunt uates) data corpora leto,  
Funereus maculat sanguine squallor humum.  
Victa q̄ terga dabat iam Rana sequacibus armis,  
Magnanimi uictrix dextra q̄ Muris erat.  
Illa domanda uiros successus in agmina Mures  
Arguit, in profugum uerbere uulgus eunt.  
Iam maris in roseum tot cædibus unda cruorem  
Versa, suis & aquis flumina tota rubent.  
Fortunæ adflatu uires in aquatica crescunt  
Castra, uigore fauor grande serenat opus,  
Ulturi facinus Ranas uictoria fati  
Desperata metu, de statione fugat.  
Signiferum ambiguo uolitantia spicula tortu  
Exanimant, horror pallida membra quatit.  
Euentu pavidus spem uitæ clamat ademptam,  
Ex acie pernix nî fuga uulgus agat.  
Cui sua cura salus (clamat) patriq̄ penates,  
Hinc pede ab exitio terga uolante ferat.  
Heu furor hoc quis erat turbam admonuisse fugacem,  
Fracta metu, nullo quod monitore, parat.  
Martia gramineis resonabant murmura campis,  
Pugna quibus primum est cœpta cruenta geri.  
Hinc se præcipitem dat in imum saltibus æquor.  
Fluctibus undarum nare perita cohors.  
Cincta phalanx, trepidum, pharetratis muribus, hostem  
Heu bombardiacis uexat utrinq̄ globis.  
Qua q̄ notant, ictu, fugientia terga, fatigant,  
Balistæ neruo torta q̄ tela uolant.  
Ferreus ut quondam Mars uictor in hostica sæuis  
Agmina, quæ iaculis faucia membra trahunt.  
Haud secus in Ranas letalia spicula torquet,  
Victa trucidando corpora, sæua cohors.

At sua cui è manibus male uerbere fracta uolârat  
Hasta, nec arma, quibus damna uetaret, erant  
Grandia saxa manu rigida tellure leuauit,  
Hostis & inuisi torlit in ora ferus.  
Pars alia ex olido glomeratas stercore massas  
Agminis in domiti est eiacula caput.  
Ferratis domat hic prostratum calcibus hostem,  
Sanguineo faciem contemeratq; pede.  
Ludit hic occiso, lasciuo, in corpore, saltu,  
Victor & exuuijs illius auctus abit.  
At qui semineces cruciatu uulneris artus  
Voluit humi, huic ferro uulnera plura facit.  
Denegat hoc alij crudelis dextera munus,  
Qui perimi ense, rogat se, celerante necem.  
Quiq; animam tenues iam expiraturus in auras,  
Et sua clausurus lumina morte iacet.  
Aegra tamen nisi membra mori pars uiua caloris,  
Saucia qui nondum deserit ossa, ueter,  
Ut durante dolor uita hunc cruciaret acerbus,  
Abnuat optatam sæua Tyrannis opem.  
Non gladio finit uitam abrumpeute dolores,  
Insultu morbum sed geminante furit.  
Dum uigor omnis eat uitio resolutus in auras,  
Membratq; uiuificus deserat ægra calor.  
Sed quia stagna dabant stupidis loca peruia Ranis,  
Turba sub æquoreas se uaga merlit aquas.  
Illa secuturas hostem fortuna phalanges,  
In fugitiua ratem castra parare, monet.  
Viribus en heros, generoso insignis & ortu,  
In mare Dux classem præcipit arte trahi.  
Pectora concordii iam robore iuncta uideres,  
Impetus in laudem pluribus unus erat.

Tam

Tam duo ueloci pede certant tangere puppim,  
 Præceps, in liquidum flumen, ut alter eat.  
 Qui modo miles erat, funestis naufragus undis  
 Innatat, huic remi caudaque præstat opem,  
 Corporis illa leuat reliquam supra æquora molem,  
 Cœrula sed madidas degrauat unda comas.  
 Corporis eminuit pars hirtæ proxima caudæ,  
 Ceruix in gelidas prona pependit aquas.  
 Remigioque pedum nequicquam calcitrat imo  
 Gurgite, nec fatum brachia lassâ uetant.  
 Tam dubio uariant Mauortia prælia casu,  
 Tam uolat ambiguus lubrica Diua rotis.  
 Sed quæ causa prius gentes armârit utraq;  
 Et belli unde, refer Musa, sit ortus amor.  
 Tempore quo reuocat roseas aurora quadrigas,  
 A nitidoque fugit nox superata die,  
 Gramineo cultu ridentia prata frequentat  
 Mus, & ad irriguas rura pererrat aquas.  
 Quem malesuada sitis damno concitat auso,  
 Ut riget infauis arida labra uadis.  
 Muribus infestam felem uitare laborans,  
 Heu propius mortem, quam fugit exul, adit.  
 Nam lassata fuga dum membra leuare parabat  
 Vicini, trepidus mente, liquore, lacus,  
 Sorbuit & fluidas auido dum gutture lymphas,  
 Haustraque mendosam lenijt unda sitim,  
 Quam penes imperium est attracti fluminis illum  
 Rana notans, hospes quis sit & unde rogat.  
 Aduena tu quis ait, quo tendis ab orbe profectus,  
 Quaque tuum exortum gente fatere genus?  
 Nostraque regna quibus de terris pande reuifas,  
 Quæ res cœruleos cogat adire lares?

B iij

Num

Num tituli seques magnorum nomina Regum,  
Parq; mihi referas nobilitate decus?  
Num tibi, quæ populos sceptro Regina gubernet,  
Illustri genitrix stirpe sit orta refer.  
Fortibus an fratrum tibi turba superba caballis,  
Quæ domito uictrix nomen ab hoste gerat.  
Purpurea comtæ uiuant tibi ueste sorores,  
Regia uirgineum diues alatq; chorum.  
Pendeat in templis an nuncia gentis auitæ  
Parma, tenet tituli quæ monumenta tui.  
Num tua nota uolet peregrinas fama per urbes,  
Num quo non facie, nomine clarus eas.  
Longane sint patrijs circumdata brachia regnis,  
Lataq; subiectas terminet ora plagas,  
Et tua terra uiros alat utrum Martis alumnos,  
Sint quibus armigeræ munia cura Deæ.  
Omnia quæ fando caue in auras futile uerbum  
Euolet, ambiguus hospitis, ore, sonis.  
Nam tua si ficti uox argumenta sonabit,  
Ludet & incertis lingua proterua notis:  
Regis amicitia non dignus habebere hospes,  
Sed lare de nostro ui prohibendus eris.  
At si mentiti non es simulator honoris,  
Te nil nostra diu gratius aula geret.  
Excipere mihi lautis Regi aduena mensis,  
Ferculaq; exproment hospite digna coqui.  
Et mistura dapes carchesia plena falerno  
Apponet, solito more ministra manus.  
Irrita ne dubiam suspendat opinio mentem,  
Regis honoratus nomine sceptrum gero.  
Meq; patrem patriæ Phylsignathon aula palustris  
Nominat, imperio subdita gensq; meo est.

Stan<sup>c</sup>



Stant mea marmoreis operosa palatia signis,  
Stat picturatis regia celsa tholis.  
Arx mihi cœruleo procul eminent ardua ponto,  
Sydera sublimi uertice tangit apex.  
Hac mihi turba senum superest augusta uirorum,  
Cura quibus Regis uita, salusq; sui est.  
Quorum consilijs diuturna negocia credo,  
Et quorum uirtus meq; meosq; regit.  
Aulica tutorem patriæ me pompa salutat,  
Officijs dominum meq; professa suum est.  
Atq; fatigatum bello Regem adiuuat armis,  
In mea, Mars quoties, uiscera, castra parat:  
Armat in aduersas contraria prælia turmas,  
Et præstat patriæ, quando laborat, opem.  
Bellica magnanimis mihi crede industria Rani  
Victrici peperit nomina clara manu.  
Funeris exortem patiendo uulnera famam  
Promeruit, partum Marte regente decus:  
Pars orbis nostro est adiuncta potissima regno,  
Terra minus spacium creditur esse mari.  
Hinc mea ui tantò est potiori fulta potestas,  
Quantò plus terris æquoris unda patet.  
At si forte genus, seriemq; requiris auorum,  
Dicere quod longi caussa laboris erat.  
En proauis, atauisq; cubat celeberrimus heros,  
Cœruleis, Peleus morte solutus, aquis.  
Hoc me fama domus genitum non in scia nostræ  
Adserit, & ueri non ea teste caret,  
Hydromedusa parens natalibus altera Regum  
Edita, me peperit pignora cara thori.  
Coniugis, Eridani dum in margine, comperit usum,  
Legitimiq; prius foedus amoris inicit.

Quod

Quod feror ergo domus generosus glorior ortu,  
Heröum titulis quæ decorata uirum est.  
Sed quia te loquitur paribus res laudibus auctum,  
Et generi, æquari nobilitate, Ducum.  
Namq; uirum uultus te forma professa seuerum est,  
Sceptrigeræq; Ducem te docuere manus.  
De qua ergo uitæ primordia origine ducas,  
Nuncia natalis dic simulachra tui.  
Regia maiestas mihi honore uirescit auito,  
Et sceptro populi frena regente uiget.  
Si commissi etiam tua dextra gubernat habenas  
Imperij, ignaro stemmatis ede notas.  
Si tua mentito non uox erit oblita fuco,  
Indicio ueri præmia digna feres.  
Mus generis seriem & monumenta rogatus auorum,  
Sperati cupidus mente fauoris ait:  
Non hæc imperio sunt argumenta potiti,  
Ignorare decus laude celebre nefas.  
An quæ plebeias inter uolat inclyta turbas,  
Nil aures tetigit gloria nostra tuas?  
Quam latè Titan duodena per astra uagando  
Aureus in terram uibrat ab axe iubar.  
Non ignara meæ tam latè pectora famæ,  
Omnis habet coetu cum seniore puer.  
Quin uirtus, titulis, mea, quæ clarescit auitis,  
Permeat eoas, hesperiasq; plagas.  
Quælitumq; decus dextra uictrice priorum  
Sedibus arctois, austriacisq; uiget.  
Non equidem tanto suffulta potentia regno,  
Obicurata situ, laudis inopsq; iacet.  
Arma paraturas, domat, in me, industria, uires,  
Prælia qua, felix gens mea, freta gerit.

Nulla

Nulla uagus radio sol climata lustrat acuto,  
Nostræ obscura quibus laus sit, honorq; domus.  
Quâ sine aquis tellus habitacula tuta ministrat,  
Terminat hæc regnum limite meta meum.  
Namq; aqueas margo ueluti circummeat oras,  
Circundatq; uago brachia longa freto.  
Terreus, imperij est sic nostri terminus, orbis,  
Quo mihi regnandi libera iura patent.  
Nomen, auicq; rogas qui sint, Plicharpaga regem  
Illustri cretum me genitore uocant.  
Troxartæ, armorum est usu, testata, celebris  
Saguine, nobilitas, me, generosa, satum.  
Lichomye ære potens, nec patre obscurior ortu,  
Nec merito, inferior mater, honore, mihi est.  
Horum omnis puerum uirtutis honorat alumnum.  
Gens, fouet augustæ progeniemq; domus.  
Exhilaro Genium iuuenili flore uirescens,  
Regia me nec alit carius aula decus,  
Portio cara uiris sum, quos illectat honorum  
Splendor, & utilitas, qua sine nemo placet.  
Rege satam sobolem procerum complexa lacertis  
Turba dat in teneris oscula blanda genis.  
Lusu agitante iocos oblecto herôas amicos.  
Illecebris risum promoueoq; meis.  
Cum spaciatur pedes campos flore decoros,  
Et Genio fruticum consita lustra peto.  
Lustraturi, hortos iuuenili ardore salubres  
Turba frequens comitum, terga uerenda tegit.  
Arua peragrantem ualituris robore dextris  
Defensura latus stipat utrinq; cohors.  
Dum uario cultu decorata uireta frequento,  
Et quos ambrosiæ fragor odorat agros.

C

Et

Et qua suavis odor Cythiso florente serenat  
Prata, frequens socio quæ grege lustrat apīs.  
Ne tenerum Accipitris petat improuisa tyrannis  
Corpus, & infestans ungue sub astra ferat.  
At cum parta fames uario oblectamine gressum  
Assueti reuocat tecta sub alta larīs.  
Excipiunt hilari reducem me fronte penates,  
Quemq; uia euentum fors sit adepta rogant.  
Voto utrum adflarit uentis fortuna secundis,  
Acq; malo in portum tuta sit acta ratis,  
Rege cibus onerant mensas redeunte ministri,  
Et solito expromit more culina dapes.  
Aurea iam ueteri spumant carchesia Baccho,  
Et decorant epulas mista liquore meas.  
Grataq; aromatibus generosis esca palato,  
Lassa nouo reficit corda uigore uiris.  
Nec mihi Castaneas, nec mitia poma, nucesq;  
Coena comesturo luxuriosa negat.  
Segnia luxuriant geniali corpora uictu,  
Membra rigante mero cura laborq; fugit,  
Languor abit, uires pastus restaurat ademptas,  
Mox subit ebrietas laticiaq; comes.  
Euacuare mero spumantia pocula uirtus  
Creditur, & meritum potor honoris habet.  
Quilibet hac magnos affectat in arte triumphos,  
Certat & alternis ebria pompa scyphis.  
Donec iners dextras in uincula cedat lacchi,  
Ignarumq; sui turba labascat onus.  
Mole laborantem dum aluum laticisq; gulaq;  
Exoneret uomitu uentre crepante cohors.  
Crapula nectario superatum munere uu lgu  
Inquinet in rigido strata petatq; solo.

Sed

Sed tibi quæ certans me gratia iunget amicum,  
Quem natura parem moribus esse uetat?  
Vna licet mens sit, uitæ est diuersa facultas,  
Namq; meum impatiens est maris omne genus.  
Donat utrumq; tibi natura ministra bonorum,  
Aura tuos animos, undaq; cana iuuat.  
Gurgite in æquoreo tua & aëre uita superstes,  
Sub tellure mihi tuta timore salus.  
Et tua gens arcem stagno fundauit in imo,  
Obruta terreno est aggere nostra domus.  
Instruit & docto tua te natura natatu,  
Libera quo sospes per freta carpis iter.  
At mihi, fata negant optandum cui æquoris usum,  
Aëris ex haustu uita uigorq; uenit.  
Mutua cum humano mihi rerum copia cœtu,  
Hac nostrum alma statum numina sorte beant.  
Non ter pistus enim me toto panis in anno  
Deficit, est uacuum nec mihi carne penu.  
Nec mihi mensa negat mistas sisamide placentas,  
Regia delicijs nostra referta uiget.  
Rex ego cuncta prior dilibo fercula gustu  
Experiente meam quæ iuuet esca gulam.  
Quæ si grata uenit docto gustare palato,  
Hac mihi mulcetur deliciosa fames.  
Sed quæ mista parum, nil captat, aromate, mentem,  
Aulicus hanc carpit Rege iubente chorus.  
Apparat arte etiam pernas coqua turba suillas,  
Qui me, qui saturat uulgus equeste cibus.  
Luxuriat dapibus laute aulica uita paratis,  
Quam Ceres & Bacchus munere ditat opum.  
Optatam reuocant cum sera crepuscula cœnam,  
Ostentatq; epulas splendida mensa nouas:

Tunc si regifico instructam uictu hospes in aulam  
Venit, lætitiæ fit comes ille meæ.  
Vadiq; iam pictos capit aula superba tapetes,  
Marmoreosq; ornat purpura multa toros.  
Postquam epulis promus mensas onerauit acernas,  
Hospes in ostrino discubuitq; toro.  
Auratos implet calices pincerna Lyæo,  
Delibatq; prior leniter ore merum.  
Lauticies dapibus uescendi concit amorem,  
Mellito esca gulam plena sapore iuuat.  
Fercula milleno numero uel plura serenant  
Conuiuas, animis deliciasq; parant.  
Iam iecur assatum, iam lixas mandere carnes,  
Iam lardum morsu rodere pingue iuuat.  
Iam botulo, uescor Genio poscente, suillo,  
Iam mihi nectareum præstat oliua cibum.  
Nec mihi caseolos niueo de lacte coactos  
Denegat, innumero munere farta penus.  
Cum consueta, sitim simulat, potare uoluntas,  
Pocula maluatico labra liquore rigant.  
Deniq; pomposi quas postulat usus honoris,  
Larga domus nostræ copia fundit opes.  
At maiora meam his decorant præconia famam,  
Dicere quæ longi temporis esset opus.  
En animi auxilio rigidos accedo tumultus,  
Martius ancipiti quos furor ense mouet.  
Grandinis instar enim neruo excutiente sagittas,  
Omni hostile metu liber in agmen eo.  
Commiscent acie in prima qui prælia castu,  
His socians uirtus se mea, bella iuuat.  
Immani Herculeas, æquantem, corpore uires,  
Vulneris haudquaq; uito timore, uirum.

Namq;

Namq; Gigantæis ut sim uel uiribus impar,  
Certè animi, nullis cedo, uigore, minis,  
Quin adiens hostis uino clàm strata sepulti,  
Serica mordaci lintea dente tero,  
Et digitos morfu defœdo sopore potiti,  
Nec dolus è somno faucia membra ciet.  
Victa, liquore suo, cum membra, soporat Iacchus,  
Alta animoq; quies parta labore gulæ est.  
Cumq; fatigatos sepeliuit inertia sensus,  
Defuncto similem composuitq; toris.  
At licet illa domum murinam fata secudent,  
Carpat & haud ullus pectora nostra labor;  
Nulla fatiget opes cumulare cupido beatas,  
Ignauumq; grauent tædia nulla genus.  
Sors tamen haud uultus satis explicat ulla serenos,  
Nosq; secuta salus, quæ mala uiter, habet.  
Tela, duplex, in me parat exitiosa, Tyrannis,  
Nescia, qua usq; domus nostra laborat, opis.  
Vnguibus accipiter me prædam adfectat aduncis,  
Ultricem sceleris nil Nemesisq; timer.  
Mutua, sanguineum sociat cui fœdere cattum,  
Stirpis in exitium, gratia, triste, meæ.  
Hæc modo in innocuos fit conspiratio mures,  
Non aliàs uni contulit alter opem.  
Insidiæ heu nunquam necis hæc secura tremendæ,  
Liberatq; assiduo corda pauore sinunt.  
Hæc admista bonis incommoda luget opimis,  
Rerum aliàs saluo turba potita statui.  
Nec tantum illa, dolo uexante, pericula, Mures  
Turbant incusso pectora nostra metu.  
Aedificata fabris fatum arte minante proteruis  
Techna recens, miseris omnia dira mouet.

C. iij

Muscipulam

Muscipulam illud, iners, inuentum nominat, autor,  
Nos quod in occultam pertrahat arte necem.  
De tribus una tamen nos cæde cruenta frequentis  
Felis ad infernas uulnere mittit aquas.  
Nos funesta dolo nocturno in retia uersat,  
Venatur captos mactat auara gulæ.  
Si qua suæ amplexu soboles elapsa parentis,  
Ante casæ, lusus plaudit amore, fores,  
Vnguibus incauto saltu usam prensat acutis,  
Ut coenæ inde paret fercula dira fames.  
Extra tecta laris nec tantum obtruncat ituros,  
Limen adit nostrum fraude docente uias.  
Naribus indagat cæcas tellure cauernas,  
Et pede u estigmat fata struente casæ.  
Dum politas animo securi carpimus escas,  
Ostia confringit poste reuulsa furor.  
Tum uero ò luctu spectacula plena ministrat  
Impietas, stygio quæ furit orta lacu.  
Nos strepitu exanimis agit impetus unus oborto,  
Alas addit iners iam pedibusq; timor.  
Prandia cœpta recens disturbat iniquius ausum,  
Executit insertos & stupor ore cibos.  
Quotquot parta fames lusu somnoq; coegit,  
Occlusum irrumpens uis penetrabile fugat.  
Pernix exitio hunc fuga liberat, utile donum,  
Hunc pede nequicquam cura uolante iuuat.  
Ille metu nimio morituros sustinet artus,  
Et fatum exanguis lugubre sponte manet.  
Cui pavor obstat iners cursumq; retardat inanem,  
Et uolucer non est terga morante metu,  
A tergo pressum scopulo hunc illidit acuto,  
Atrox & cerebro polluit hostis humum.

Ille.



Ille, fugæ incolumis quia spem formido negabat,  
Sponte necaturæ sustinet arma manus.  
Quærens ille necem cursu, prohibente, salutem,  
Verbere lassari terga fugata dolet.  
Tentat ut angustis celer hic se abscondere rimis,  
Heu caudæ illæso corpore damna facit.  
Hanc abrumpit atrox prensam ungue rapace tyrannis  
Et mutilat dira corpus inerme manu.  
Viscera perpetuo, quæ, nostra cruentat adortu,  
A qua nulla datur tuta labore quies.  
Hæc nisi fortunam temerarent fata secundam,  
Esset de reliquo nulla querela statum.  
Sed quoniam raphanos & agrestes nauseat herbas,  
Nec porri usuram nobile guttur amat.  
Nec bene natiuo prægnata cucurbita fructu,  
Insueto teneræ est apta sapore gulæ.  
Non apij immittis me succus lactat amari,  
Grata nec est labro rustica rapa meo.  
Sunt mihi plebeia nec idonea fercula betae,  
Dulcior ærio est qui tibi melle cibus.  
Diues opum luxu, quam iactitat aula palustris,  
Lauticies mihi quo munere grata uenit?  
Gratia concordie ne fœdere iungat amicos,  
Morosæ prohibet cura maligna gulæ.  
Hactenus ille refert encomia stirpis auitæ,  
Limnocharis uultu quæ grauis aure notans,  
Has proprii in uoces cupidus prorumpit honoris,  
Et fastu tumidus talia uerba facit:  
Surgit amice tibi patriam ostentare uoluptas,  
Argumenta pigrae deliciasque domus.  
Quin & multa mei miracula nuncia honoris,  
Indicium gentis laude celebris habent.

Quæ

Quæ spectata suo te oblectent protinus usu,  
Regis & in laudem sint operosa sui.  
Ducere me uitam mitis natura sub undis,  
Aetheriæq; auræ carpere dona finit.  
Iamq; hilari, mea gens exultat in æquore, plausu,  
Iam saltu in uiridis gramine gestit humi.  
Iam peragrat socio frondosas agmine sylvas,  
Iam uario pictos flore frequentat agros.  
Cum lubet alterno certamina murmure cœptat,  
Voxq; sub astra leuat consona dulce melos.  
Monstra quoq; æquoreos uitare secantia fluctus,  
Quam fors attribuit piscibus, arte ualet.  
Per freta quæ immani fera pondere corpora uoluunt,  
Cœte nobiscum stagna profunda colunt.  
Vndarum delphinas amor, phocasq; natatu  
Instruit & uitreas edocet arte uias.  
Tota maris facies mirandis rebus abundat,  
Aequora uisurum pisce natata iuuant.  
Illa, uidere tibi si surgit, spectra, uoluntas,  
Insideas humeris sarcina cara meis.  
Gestatore, uelut, me, puppe uehère per undas,  
Me dubium carpes remige tutus iter.  
Sed discenda prius tibi tradita lege natantum  
Regula, qua certam posce natator opem.  
Nexu circunda subiecto brachia collo,  
Te gestura tene membraq; fortis onus.  
Mollia uecturi pede stringas ilia nautæ,  
Pingueq; calce latus tangat equestre genu.  
Non ea me moles mare grande grauabit arantem,  
Impedietue mora, quod celeramus, iter.  
Ne moueare metu modo tergo fortiter hærens,  
Ocyus immensam trañciemus aquam.

Vtq;

Vtq; gubernat eques loro spumante caballum,  
Marte grauisq; premit colla superba manu.  
Sic ceu nixus equo, remo moderabere cursum  
Puppis, in alta freti cum uaga carpet aquas.  
At sulcanda rati licet æquora uasta patefcant,  
Illa meo maris est semita trita pedi.  
Qua findenda scaphæ est uia, nil nisi pontus & aër,  
At quorum hic uentis, nubibus ille caret,  
Non labor illud opus, sed fructu plena uoluptas,  
Namq; datrix sociæ commoditatis erit.  
Inuitamur iter cœli candore sereni  
Maturare, nigra quod sine nube micat.  
Ergo meos arcto complexu prende lacertos,  
Cymba nataturos transuehet una duos.  
Hoc in fata miser ruit infelicia suasu,  
Heu maris impatiens in mare tentat iter.  
Morem blandicijs ignara mente futuri  
Nempe gerit, saltu terga leuiq; petit.  
Pes lateri innixus, manus est circumdata collo,  
Musq; equitis ritu lora regenda tenet.  
Munus equi præstat gestatrix Rana uehendo,  
Aduersoq; recens sydere portat onus.  
Fit sonipes, nisi quod calcaria nulla tulisset,  
Carnosum stimulos excuteretque latus.  
Impulsu ferale pedum mare spumat euntis  
Remigis, à tergo terra relicta fugit.  
Sulcat aquas, mentoq; tenus socium æquore mergit,  
Ut patiens fluctusmersus in æquor eat.  
Te monitore (miser clamat) tua terga prementem  
Tinctum cœruleo parce necare freto.  
Sed secura precis, pactiq; oblita prioris  
Corda nihil Ranae, uox lacrymaq; mouent.  
D Pollicis

Pollicito est fraudata fides, spe orbata salutis,  
Consequitur uoto, nec fuga mortis, opem?  
Desperata salus, dubiosq; auertere casus  
Nescia mens gelido fluctuat acta metu.  
Iamq; gelu rigidos conuellit fronte capillos,  
Vngue uadis madidum dilaniante caput.  
Mens concussa tremat fletum extorquente periclo,  
Irritaq; heu surdis uota feruntur aquis.  
Heu purum lacrymis pelagus temeratur obortis,  
Quæq; satis fuerant multiplicantur aquæ.  
Cor pauet, & subita formidine palpitat actum,  
Membra gelu hyberno frigidiora rigent.  
Sorsq; insueta malo uexatos concutit artus,  
Sunt uisæ subito stare rigore comæ.  
Iam fore iam leti propiorem horam autumat undis,  
In mediâ quamuis merfus agat ur aqua.  
Pœnitet at sero cœpti uolentia timentem  
Aequora, quàmq; geri serpere mallet humo.  
Proq; mari undoso pede tutas carpere terras,  
Mallet & esse suæ pars quotacunq; casæ.  
Sed quia nullam animo pariunt spem uota salutis,  
Cum querula, acta malo fors geminata, prece est:  
Remigio caudæ luctante uetare periculum  
Quærit opem, & tumidas calcitrat inter aquas.  
Hanc miser in pelagus ceu remum expandit apertum,  
Hac rigidi fati uincere certat onus.  
Sed minor exitio uis ægros adiuuat artus,  
Merfa superfusis ora rigantur aquis.  
Extremiq; rogi uim iam passurus acerbam,  
Hæc morituri undis nuncia uerba facit:  
Haud sic à tauro simulato euecta per æquor,  
Europa ignari est de late rapta patris.

Abfor

Aborbente sali modo ceu miserandus hiatu,  
In barathrum fluctu triste stygisq; feror.  
Contigit aëriam fata, sospes, Agenore Cretam,  
Sub specie tauri uecta latente Deo.  
Vita mea haud caros iterum uisura parentes,  
In uentos uitio est extenuanda freti.  
Me uoluere dolo tua sacramenta rapinam  
Vndis, iusticiæ Rana perosa decus.  
Heu fraudaturas qui credula pectora uoces,  
Cladis amans stultè pondus habere tuli.  
Mentis inops hostem qui sum dignatus amicum,  
Blanditijsq; feror præda pudenda tuis.  
Dum geminat uitam clausuras morte querelas,  
Increscitq; animo cura, timorq; necis.  
Obuius his uisu it draco formidabile monstrum,  
Diraq; spumanti membra uolutat aqua.  
Lumina cui radio memoratu horrenda micabant,  
Et squamosa tetro corpore pellis erat.  
Ceruicem aspectu qui altam horridus erigit undis,  
Territat & uultus obuia quæq; minis.  
Quem simul obseruat miserandi uector amici,  
Quem gerit, æquoreas occulit inter aquas.  
Percussus monstro maris imas calcat arenas,  
Et loca præcipiti corpore tuta petit.  
Hospitis interea sociati abit irrita pacto  
Cura, uagumq; fides in mare iacta perit.  
Quam dederat fallax periuro dextera fuco,  
Hospes in exitium quo miser actus erat.  
Dum funestari peregrino stagna cruore  
Tutius esse, duos quàm perijisse putat.  
Naturæ, ualuit qua nauita, iure sagacis,  
Vtitur arte, comes fata solutus obit.

D ij

Vndas

Vndarum rabie tumidarum exangue uolutum,  
Excuditur tergo stagna secantis, onus.  
Mus humero excussus spoliū it miserabile ponto,  
Quasq; reformidat naufragus haurit aquas.  
Remige cui antè pede est non ars superare profundum  
Cognita, spe uitæ languidus æquor arat,  
Brachiaq; expandit non allatura salutem,  
Vicinam studio nec uetitura necem.  
Nam uelut exortis cœlo luctante procellis,  
In medijs quatitur naufraga cymba uadis;  
Marmora uoluentis sic uasto gurgitis æstu,  
Sorbet in abruptum dira uorago caput,  
Brachia iactando littus tetigisse laborat,  
Prospera conatum nulla sed aura iuuat.  
Præceps imbre graues corpus mersere capilli,  
Hispida sunt rabido membra soluta salo.  
Iamq; leues animæ uigor extenuandus in auras  
Forſan erat, uitam sic positurus ait:  
O Nemefin tanti nunquam euasura piaculi  
Rana, licet uiuas, te tua pœna manet.  
Lumina iuſta Ioui, quibus arguit omnia uindex,  
Diſſimulata quibus facta dolosq; notat.  
Gens ultura ſcelus mea multa cæde piandum,  
Armabit ualidas in tua regna manus.  
Funestas animam illa querens expirat in undas,  
Cum gemituq; graui uita soluta fugit.  
Tam fera Lichopinax ſpectacula ſignat oberrans  
Littore, qui huic patrio ſanguine iunctus erat.  
Interitu expauitans ululatum exercet amici,  
Luctifico planctu perſonat omne latus.  
Delinquendo animum qui mortem extinctus obiffet,  
Eſſet ab attacta nã recreatus aqua.

Nam

Nam defectu animi uicinam illabitur undam,  
Qua sine dempta salus non reditura foret.  
Reddidit huic uitam gelidus liquor, abstulit illi,  
Sic nocet interdum res eademq; iuuat.  
Ut redijt uiuax in languida pectora uirtus,  
Et refouet luctu frigida membra calor.  
Quem petijt curas florenti sorte serenans,  
Triste animo linquit uulnus alente locum.  
Dadala monte super quâ est arx fundata iugoso  
Regis, eò recto tramite carpit iter.  
Troxarten solio connixum accedit eburno,  
Absorptu periens, quo, maris, ortus erat.  
Augurium incessus fati designat acerbi,  
E facieq; mali nuncia ruga micat.  
Ut datur affandi Mures sperata facultas,  
Singultu indicium triste morante stupet.  
Casum, acti ignaris, orsuri aperire sinistrum  
Vox titubat fletu fracta premente sonos.  
Cædem inquit, lacrymas oculisq; abstergit oboras,  
Luctu plura loqui lingua uetante nequit.  
Mœstus adest altos animo uersante dolores,  
Et mœrente dolis patria regna peti.  
Mallet abesse miser, quam læui nuncius ausi  
Dici, quo soboles regia mersa freto est.  
Sed manifestari facinus Mauorte piandum,  
Sanguinis effusi postulat ultor amor.  
Dirum animo attonitis fatum horrescente ministris,  
Rege fatum Ranæ cæde perisse refert.  
Hi pauidi, arrectis, nimium omnes, auribus astant,  
Vimq; tremunt ausam grande furore scelus.  
Infausto facinus retegunt crudele parenti,  
Et trepido luctu pectora plena gerunt.

D iij

Gnatys

Gnatus ut occiderit, qui spes erat unica regni,  
Pollicito irrisus ius uiolante, docent.  
Nuncia uox leti genitoris ut attigit aures,  
Regia posteritas quo temerata iacet.  
Nuda superfusus uiri ut horrent corpora lymphis,  
Hæc quem, non oculo, damna, notante, premunt.  
Aut Iouis irati ceu tactus ab igne stupefcit,  
Et uitæ dubius pectore sistit iter.  
Haud secus extincti genitor super omine Nati  
Expauet, ignarus statq; tremore sui:  
Irruit attonitos sic frigidus horror in artus,  
Et præceps cruciat pallida membra pauor.  
Donec, ut ante etiam duris exercita fatis,  
Liberat hoc illum mens generosa metu.  
Heu gemitu infœlix lacrymas absorbet obortas,  
Hos geminat luctu corda grauante sonos:  
Me miserum effœtas cur mille pericula uires  
Exercent fato non miserante senem?  
Cur aduersa mari prædam fortuna peregit,  
Regia quo demto prole stat orba domus?  
Dij cur progeniem non ullo crimine læsi,  
Cur delere meum nomen in orbe parant?  
Cur superare meo sobolem de sanguine cretam  
Res inuisa Ioui, qui regit astra, fuit?  
Sed quia fortunæ fit lenior ira ferendo,  
Iustaq; cedendo uincitur ira Deum:  
Accusare meo nil regno infesta iuuabit  
Numina, nolle quibus cedere grande nefas.  
Dijs nihil inuitis magni cœptare secundum,  
Quos inhians superæ mens modo placat opi.  
Non animo, uirtus uexatum herôa sinistris  
Infractum alta sinit, casibus, esse uirum,

Victrici



Victrici audentem lauro fortuna coronat,  
Et domito optatum donat in hoste decus.  
Armari auxilijs Ranarum iniuria Mures  
Poscit, & ulturas ausa parare manus.  
Triste piare nefas, aut bello occumbere certum est,  
Gloria pro patriæ uita salute mori.  
Qua labente uiro est forti non uita uoluptas,  
Tunc tua nulla, cadit publica quando salus.  
Ergo frui tuta quos partis pace triumphis,  
Præsidiq; suo regna togata iuuant.  
Hostis in insidias animos armare proterui,  
Et regem socio Marte iuuare decet.  
Pugnaci demum aspirant pia fata labori,  
Fretaq; diuino uota favore iuuant.  
His animos turbæ dictis accendit in iram,  
Cui domini curæ uitaq; forsque sui est.  
Crescit amor monitu bellum fatale gerendi,  
Acer in unum omnes impetus armat opus.  
Cædem ulciscendi cupidis uim concitat ardor,  
Ranarumq; odio uulgus in arma ruit.  
Imperio rubicen subiectas missus ad urbes,  
Auxilio populos Muribus ære uocat.  
Classica mirantes coeptum pulsata colonos  
Terrent, itq; feræ clangor ad astra tubæ.  
Præpete ad extremas pede qui uolet impiger oras,  
Nuncius eligitur regia iussa ferens.  
Tecta subire quibus regis gens poscitur omnis,  
Et molita nouos discere facta dolos.  
Exerit arma situ squalentia cote pedestris,  
Mandato patriæ iura tegente, cohors.  
Cingitur ense latus, sic patria poscit, acuto  
Maiores Mus, capiti est ærea cassis onus!

Vfu

Vfu militiae sua quem nondum instruit aetas,  
Imperio Regis moriger arma parat.  
Sole, quibus tectus, super orbem, membra, reuerso,  
Regia cum socio milite tecta petat.  
Debitaq; obsequio declarans munia Regi,  
Promissam patriae praestet amore fidem,  
Haec dum gente recens opus accelerante geruntur,  
Quod parat urgendum fortiter ira monet.  
Mille trucidari sceleris ui uindice Ranas,  
Supplicio quamuis digna sit una, iuuat.  
Funere iam uotum, miscerier, omnibus unum,  
De Ranæ insidijs Rege querente, fretum est,  
Namq; cadauer adhuc fluctu squallescit aquoso,  
lactaturq; sali turbine more ratis.  
Tempus erat gelidas quo Lucifer exigit horas,  
Et surgente facit luce uiator iter.  
Quoq; aurora nouat croceos super aethere uultus,  
Iamq; positurum nunciat orbe diem.  
Ingenti numero clypeati militis, arcem  
Regis adit iussu, conglomerata cohors.  
Conuentus animo causam scrutante laborant,  
Ignarosq; rei magna cupido trahit.  
Spesq; timorq; loco tot millia cogit in uno,  
Praesidium populi Rege petente sui,  
Confertam ut capiat uix area milite turbam,  
Pesq; frequens bellum pro statione gerat.  
Hos ita Troxartes lacrymis adfatur abortis,  
Fata gemens luctum corde premente grauem:  
O animis generosa cohors & clara triumphis,  
Postulat auxilium lux hodierna tuum.  
Hoste salus communis enim uexante laborans,  
Damna leuaturam ui data poscit opem,

Nam

Nam mea sola feris nunc obruta uita periculis,  
Aduersisq; gemat casibus acta licet.  
Rege iacente tamen populos eadem aufa domabunt,  
Subiectosq; iugo saeva Tyrannis aget.  
Pax speranda eadem domino ceu sospite uobis,  
Sic domito hoc, eadem est uis metuenda, dolis.  
Me penes armorum est & opum suprema facultas,  
Qua demta patrios hostis habebit agros.  
Si iuuat ergo casas habitare salute potitas,  
Regia maiestas Marte tegenda uenit.  
Vt patrijs aruis parto tranquilla triumpho,  
Auctaq; pax spolio diuite castra locet.  
Marsq; pedem uetitis profugum ferus efferat oris,  
Tristis & a nostris finibus exul eat,  
Hæc fortuna nihil quem fortibus induet armis  
In patriæ laudem, pectus inertis habet.  
Pro patriæ, bellace mori uirtute, trophæo,  
Quàm superesse decus grandius esse potest.  
Ergo uigens opibus status est cui cura beatis,  
Qui libertatis nobile nomen amat.  
Iusta animum ut mecum gerere arguat arma paratum,  
Erigat hic digitos me monitore duos.  
Hæc ubi dicta dedit Rex, alta silentia rumpit,  
In noua conspirat bellaq; Martis amor.  
Signa, uoluntatem, rata quò testentur, eandem,  
Omnibus in Ranas prælia magna geri.  
Bellica, pro digitis, confirmans pacta, duobus,  
Gens clamore duas tollit ouante manus.  
Roborat ira animos illato concita damno,  
Et cupidos pugnae speq; metuq; facit.  
Inflammata micant odio studioq; necandi  
Hostis, & ardorem pectora cædis habent,

E Viribus

Viribus ille, decem, ausuris, concurrere Ranis  
Astat, & arma minax uibrat utraq; manu.  
Acribus ille minis absentem prouocat hostem,  
Et mactare procul quem scit abesse parat.  
Militiæ impubis cui nondum usum exhibet ætas,  
Ense necem ulturo cinctus in arma ruit,  
Qui socio fretus cœtu omne lacessere uulgus  
Ranarum, esse procul quas uidet, ausus ait:  
Prodeat hostis iners, metuat nisi fata minantem,  
Efficiam posthac ne necis autor eat.  
Non impune cadet, iaculo spargente cerebrum,  
Funerea inficiet labe cruentus humum,  
Mille trucidari sceleris ui uindice Ranas,  
Vna mori pœnis sit modo digna licet,  
Funere misceri est unum omnibus æquora uotum,  
Extincti de obitu Rege querente sati.  
Namq; cadauer adhuc fluctu squallescit aquoso,  
Iactaturq; sali turbine, more ratis,  
Grata laboranti, luctu hæc industria, Regi  
Gentis, corda graui fessâ dolore iuuat.  
Mœror & applausu est iusta arma probante leuatus,  
Quem solata fides & data dextra fuit.  
Sentit ubi populos ad bella mouenda paratos  
Spe causæ unanimi, quæ modo iusta subest.  
Murmura & illius nutu sedata quiescunt,  
Talia Rex uulgo uerba silente facit:  
Me miserum, uiuo cui quicquid textitur æui,  
Angit inexhaustis uis inimica dolis.  
Tres spacio exiguo mea Natos luget ademptos,  
Nunc quibus orba manet penè caduca domus,  
Arte ualente dolis pollens ætate priorem  
Insidijs Cattus sustulit ante diem.

Alter

Alter at infausto simul editus occidit astro,  
Inualidum corpus fraude necante, puer.  
Machina forte fabris stygio, quæ inuenta cruentis,  
Astu, rete uelut nocte silente latet.  
Gestit ut assueto petulans lasciuia lusu,  
Saltibus exposito præda fit ampla dolo.  
Quo non alter erat thesaurus utriq; parenti  
Carior, in quo omnis cura, fauorq; stetit.  
Quiq; leuamen erat diuturni mite doloris,  
Qui geminæ interitu prolis obortus erat.  
Sospite ego hoc quoniam spe damna priora leuabam,  
Indoleq; ingenij grande fatente decus.  
Quo uiduata domus mea successoris egena est,  
Nam patrij ille hæres unicus orbis erat.  
Sic me fata tribus simul orbant inuida natis,  
Vlla ne genitor parte beatus eam.  
Quem penes imperij in Ranas suprema potestas,  
Iusq; gubernandi Regia sceptrâ manet.  
Nondum uti uernans quem flore iuuenta sinebat,  
Consilio, mortis suasit adire uiam.  
Cœruleoq; undas pede remige carpere ponto,  
Ut uada tranando discat arare fretum.  
Ranę hortatu animum uictus simulantis amicum,  
Credidit ut ignoto corpus inerme mari.  
Quod fore dante fidem dextra sperabat amœnum,  
Credula successu pectora fraudat, iter.  
Perfidus autor enim cœpti illum hoc sustulit astu,  
Iecit & in medias triste cadauer aquas.  
Hærentemq; uago tum excussit in æquora dorso,  
Cum rabidi uento est mota procella sali.  
Tâm fera ne euadant meritas periuria pœnas,  
Ulturo Stygium Marte fauete scelus.

Cana senecta nihil me demta prole iuuabit,  
Sic quia, morte, seni uiuere, peius erat.  
Urgebunt artus, dum spirant, arma seniles,  
Patre, mori sobolis nomine, dignus honor.  
Imbelli ualidas uos cum sene iungite uires,  
Quos meus ille labor postulat esse uiros,  
Magnanimi este, pijs fortunæ gratia coeptis  
Aspirat, scelerum uindicibusq; fauet.  
Sufficiet fidum mens iusti conscia robur,  
Vindex cordis opem conferet ira Deum.  
Fata uocant ferro Ranarum excindere stirpem,  
Vi prohibere pari uim sacra iura sinunt.  
Non hæc hora moras fert, Rex prior induor armis,  
Se parer exemplo quilibet oro meo.  
Quisq; sagittiferis humeros onerate pharetris,  
Sitq; ictus clypeo tecta uerante manus,  
Iliq; ancipiti succingere mollia ferro,  
Stagna colensq; genus demere surgat amor.  
Fortiq; obiectis defendite pectora scutis,  
Impetus in nostrum cum ferus agmen erit.  
Nescia tunc uirtus hosti celsisse superbo,  
Multiplici spolio mista trophœa feret.  
Armat in hostilem turbam hæc oratio Mures,  
Audaces patriæ præbet amorq; manus.  
Aerea mox anceps Mars cuiuslibet arma ministrat,  
Membraq; militiæ plurima sorte legit.  
En sua crura rudi circum talaria nexu,  
Aptant de uiridis cortice facta fabæ.  
Ocrea enim pedibus fit tegmen inane fabarum,  
Quas labor antè dedit dente uorace cauas.  
Sic quæ haud ullius precij res antè iacebant,  
Nulla quòd utilitas tempore pacis erat.

Ossibus

Osisibus hæc sunt munimina idonea nudis,  
 Verbere ne liuor crura petita notet.  
 Munit arundineus posthæc præcordia thorax,  
 Cui sua stramineus fibula nodus erat.  
 Pelliceum loricae instar uelamen oberrat,  
 Circuitu corpus uallat & omne suo.  
 En dubio in casu fauatrix semel iuerat illis  
 Sors, & mira Deum in iuuerat ausa fauor.  
 Omne tectiuagæ funesto retia feli  
 Ante larem tendunt fraude minante necem.  
 Votum fara iuuant, laqueos improuida tentos  
 Incidit, incauto nocte uagata pede.  
 Nam miseros solita uenata tyrannida Mures,  
 Dum prædam sequitur, præda fit ipsa dolis.  
 Hæc dictu mirum facinus fortuna ministrat,  
 Successu placito turba quod usa parat.  
 Mille premunt captam uenabula cuspide felem.  
 Omnis & in domito strenuus hoste uir est.  
 Haud mora captiuis rapiunt uir tergora costis.  
 Corporibus faciunt tegminaque inde suis.  
 Muribus huius erat sat prospera gratia fati,  
 Munimenta sibi quo noua dante parant.  
 Membra sua inuoluunt ceu sacco pelle recenti,  
 Cui tunicae species, cui decor omnis abest.  
 Haud secus ac lacerum quis nectit uimine pannum.  
 Confuit hoc, filo Mus rude sartor, opus.  
 Annosam in partes cultro secuere minutas,  
 Esset ut in uestes mille sat una, cutem.  
 Hoc redimitus adest uelamine quilibet audax,  
 Ornatumque nouo corda superba gerit.  
 Verum ne ulla, quibus uictoria gaudet, abessent  
 Arma, suum peltam laua capessit onus.

E iij

Dextra

Dextra manus crudo procul emicat ardua caestu,  
Sanguineiꝫ uiri nuncia signa refert.  
Bractea fumosæ de parte reuulsa lucernæ,  
Vsum illis clypei præstat, opemꝫ parit.  
Quo iacula exciperent aduerso intorta lacerto,  
Verberaq; excuterent hoste furente manus.  
Imposita est humero quoꝫ lancea longa sinistro,  
Mœonias acie quæ referebat acus.  
Aurea cuius erat subtili cuspide arundo,  
Aptaꝫ Ranarum pingue ferire femur.  
Cætera munierat iam membra decentibus armis  
Miles, adhuc nudo crine uidendus erat.  
Tegmen inane nucis pro casside tempora fumunt,  
Terribilis galeæ quod caput instar habet.  
Saxa quod elidat, coniectatasꝫ sagittas,  
Ictu ne cerebrum molle ualente premant.  
His animi fidens sua robora iactat in armis,  
Pugnandiꝫ furens flagrat amore cohors.  
Quem penes imperium hoc in apricos agmina campos  
Præuius arte sua ducit ouansꝫ regit.  
Miratur numerum, mentem oblectatꝫ tuendo,  
Præsidio tanto Duxꝫ superbus adest.  
Ordine militiam longo dum lustrat euntem,  
Millia tot uisu uix superare potest.  
Ulterius gradiens post terga sequatîa ductu,  
Cura quibus belli gloria, castra trahit.  
Planities optata cauis sine uallibus illic,  
Aꝫ iugis nullis undiq; cincta iacet.  
Ordinat hic certis industrius agmina turmis,  
Militiæ leges instituitꝫ nouæ.  
Inspectisꝫ acri censura examinat ar mis,  
Præparat ad pugnam uulgus inersꝫ minis.

Securis



Securis belli Ranis orientis in aures,  
Ominis infausti nuncia fama uenit.  
Exitium fato quæ triste minante fatigat  
Turbatas animo grande timente malum.  
Membra modum in folij hoc moto rumore tremiscunt,  
Erectæq; comæ penè stupore rigent,  
In deserta redit dum pulso frigore sanguis  
Corpora, & abiectas non sinit esse pudor.  
Egressæ fluuio ripæ ascendere cacumen,  
Gramineisq; soli discubuerè toris.  
Consilium ut captant augusti turba senatus,  
In dubio iacuit publica quando salus.  
Sic ætate graues metuendo occurrere bello  
Ranæ consilio uota iuuante parant.  
Vnde sedens uiridi Rex cespite, mente seuerus,  
Sceptrum cuius erat canna palustris, ait:  
O gens imperio quæ pares subdita nostro,  
Iure datam præsens postulat hora fidem.  
Nos allata monet patrias expendere uires  
Fama, tuamq; recens causa requirit opem.  
Mutua, enim ut societ, generosa, iuuamina, uirtus,  
Marte decus patriæ cura fouere iubet.  
Muribus, inuisas, non ullo crimine læsis,  
Fraude peti Ranas lux hodierna docet.  
Nam bellum innocuam domiturum milite gentem,  
Misturumq; tuo stagna cruore mouent.  
Ranarum inuidia uecors audacia uersat  
Vulgus, & hæc demens trudit in arma furor.  
Hinc uetiti, adfectat trux, sceptræ, ferocia, regni,  
Sanguineoq; in nos milite cincta furit.  
At scrutari operæ precium, hos iniuria num qua  
Lædat, forte metu quam tegat autor, erit. Quæq;

Quæ h̄o d̄io tanto fomentum caussa ministrat,  
Vnde recens rabidis uiribus ira fremat.  
Hoc animos uerbo uulgi in diuersa secabat,  
Vera uolunt omnes discere, nemo potest.  
Mens præfaga mali dum uestigare laborat  
Regis, & occultum uult aperire nefas.  
Suspiciunt alios alij, & primorda quarunt  
Offensæ, arma mouens Mars serat unde minas,  
Solliciti studio causam excurtante tumultus,  
Vnde rogant surgat seditionis amor.  
Motus & in populos eat hic qua fraude togatos,  
Robur in æquoreos exacuatq; lares.  
Dissensu uario dum uersat opinio mentes,  
Et causæ indicium nemo latentis habet.  
Intentis studio discendi exordia belli,  
Nuncius externo præpes ab orbe uenit.  
Embasi chytro nomen erat cui moribus aptum,  
Huic ollæ quoniam cura, quadræq; fuit.  
Qui simul arua toris Ranarum affinia tangit,  
Vox, quod fraude lateret, uulgat aperta scelus,  
Esse salutatos Rex munere pacis abusos  
Vult populos, ego quo sum modo missus ait.  
Tuta fides ueniam det Regia iussa profandi,  
Ne mea mutescat lingua retenta metu.  
Iras crudeli qui motas concoquit auso,  
Rex parat admissum Marte piare nefas,  
Vestra fatum interimens Psicharpaga Rege Tyrannis  
Muribus ulturis, suggerit arma, necem.  
Impositum tergo Phylignatos amne potitus  
Vecturum dederat se sine fraude fidem.  
Sed nil fata uerens delictum ultura nefandum,  
Cœruleo miserum gurgite merisit onus.

Et

Et regni orbauit miseros hærede penates,  
Turbauitq; suis scepra togata dolis.  
Nec, Nemesin facinus comitantem turpe pauescens,  
Polluere abstinuit nobile cæde genus.  
Sed prædam impietas monstris meditata marinis,  
Aetatis tenerum flore subegit aquis,  
Quo patriæ florente salus suufflta uigeret,  
Fato ubi uim genitor functus habente foret:  
Qui patrio esset ouans mox successurus honori,  
Ante diem leto nî resolutus eat.  
Tanta patrem iustis armat uiolentia bellis,  
Illius in regnum quæ scelus ausa fuit,  
Hinc aduersa suis uos agmina ducere turmis,  
Armaq; in armatos ferre cruenta iubet.  
Non quoniam obruere huic uos uulgus inerme uolun  
Candor magnanimo est cura, decusq; uiro. (tas,  
Nos improuiso quamuis inuadere motu,  
Iura sinant uestras (si foret ardor) opes.  
Regem abiectum animo ne sic tamen æstimet hostis,  
Vobiscum ut metuat conseruisse manus:  
Vos monet in rigidas industria Martia pugnans  
Instruat, & uires, qua ualet, arte regat.  
Non illum præstans generoso in pectore uirtus  
Militis aduersi uim timuisse sinit.  
Tu modo, pugnaci, magnos molire triumphos  
Hostis & exerce prælia sæua, manu,  
Si uirtus animat cor defensura salutem,  
Pugnando specimen roboris ede tui,  
A supero uires donatas exere cœtu,  
Conflictu præsta teq; frequente uirum.  
Nos auctura tamen uictoria diuite fructu,  
In patrium reduces hoste iacente solum est:

F

Ac

At uanos edet Ranarum pugna labores,  
Non amat euentus causa sinistra bonos.  
Teq; fatigatum Mauorte trophoea secuto,  
Dextra pia potiens expoliabit ope.  
Teq; triumphabit uicto spolia ampla reportans,  
Cinctaq; uictrici tempora fronde geret.  
Rettulit haec, uolucerq; simul pede se abstulit illine,  
Agminis ad socij castra remensus iter.  
Indicio attonitae Ranae ecce tremore micabant,  
Consilijq; inopes fata leuantis erant.  
Conuerso unum omnes Phylignathon ore tuentur,  
Voceq; eum insimulant caedis agente reum.  
Criminis obiectum dum conscia lingua refutat,  
Quod tegit, edocuit pallor in ore scelus.  
Namq; metu exortae uox penè obmutuit irae,  
Auguriumq; doli fracta timore dedit.  
Dignatura precor uobis audire uoluntas,  
Me, ueri iudicium, supplice, surgat ait:  
Non hunc, ò nimium suasu delusa proteruo  
Gens, mea dextra dolo sustulit ante diem;  
Non uiolata fides, non Mauors pacta perosus,  
Non huic exitio uis inimica fuit.  
Non crudele manus mea Muri inflixit inertis  
Vulnus, in hunc uires exeruitq; suas.  
Impulfore, maris nec, me, uim passus acerbam est,  
Instinctu nec aquas coepit arare meo.  
Nec faciem uidi, mansit dum uita superstes,  
Auribus ignotum nomen id ante meis.  
Exosum, terras nunq; hostis caede uacantes,  
Aequorei demens gurgitis ussit amor.  
Vesanoq; freti fluctus superare natatu,  
Credereq; insuetis corpus adegit aquis.

Vnde

Vnde dat infelix meritas petulantia poenas,  
Maximaq; interitus caussa, pudorq; sui est.  
Ergo quod in miserum me deriuare laborant  
Admissum insidias fraude struente scelus.  
Illorum impietas scelerum manifestat amorem,  
Quo duce ad omne nefas pectora prompta gerunt.  
Verum haud fata diu uim plenam fraudis inultam,  
Immunem merito supplicioq; sinent.  
Mox me exempla datae defendent nuncia poenae,  
Arguet exortem fera necisq; dies.  
Namq; Iouem facio testem, cui conscia rerum  
Mens est, me expertes caedis habere manus.  
Quare Marte ferox ne nos impune laceſſat  
Turba, minas Ranas uis uetitura docet.  
Afferat imperij bello decus ardua uirtus,  
Quo lapso patriae est haud reditura salus.  
Fulta tegat caros ui uindice dextra penates,  
Quasq; chorus peperit seruet auitus opes.  
His uetus opponat Furijs industria uires,  
Clara quibus uictrix saepe trophoea tulit.  
Et spolia ampla domum ductis, super hoste, triumphis,  
Rettulit excidium triste, parante minis.  
Cognita si qua mihi est longo usu ars castra regendi,  
Digna secuturis laudibus arma geret.  
Non haec fucatis gauiso pectore uerbis  
Praeditus, aut odio caedis amante loquor.  
Sed quae dicat amor mihi alenda in corde salutis,  
Haec animo memorat consona lingua pio.  
Prisca mihi aucturi patriae ornamenta laboris  
Cura, quibus demtis haud status ullus erit.  
Esse priora suo quae cuiuis corpore debent,  
Orba, uigente, quibus uita salute, caret.

F ij Viuere,

Vivere, Marte quibus vastatis, nulla voluptas,  
Mors, quorum interitu mitius, atra, malum;  
Vulnera mille pati, quàm linquere rura Tyrannis  
Diripienda, decus maius, honorq; uiro est.  
Ne trepidate metu, non fausta ferocia demens,  
Irritus, arte, labor, qui caret, omnis erit.  
Fata iuuant cautos animo iustiq; uerentes,  
Non quos sanguineus raptat in arma furor.  
Et uacuis culpa conata nocere Tyrannis,  
Sæpe cadit proprijs illaqueata dolis.  
Hæc quemcunq; iubet uitare pericla uoluntas,  
Bella gerendi illi fortia surgat amor.  
Quod dabo consilium, memori sit mente repostum,  
Utilitas illi laudis alumna subest.  
Ardua uicinus fluuio fastigia tollens  
Collis præcipiti surgit utrinq; iugo.  
Quo super arma gerens, stipatis ordine turmis,  
Stringat in aduersam tela phalanga, cohors,  
Irritetq; minis hostem, iaculoq; fatiget,  
Nosq; inuasurum ui potiore premat.  
Inde globos ex arce uelut iaculemur in agmen,  
Nostra fugaturum castra minace manu.  
Hæc ferro pugnae socios tueamur amicos,  
Versaq; conferta terga premamus ope.  
Et cum spes studio fautori nuncia fati  
Surget, in hostem omnes impetus unus agat.  
Quod uoto ausuros occasio digna monebit,  
Quæ neglecta mali causa frequentis erit.  
Qua sine nil ausit coepti secura uoluntas,  
Auspicium infelix omne, quod arte caret.  
Successus fortuna dabit concordibus armis,  
Adiuuat instructos ense, animoq; uiros.

Vicino

Vicino dubij cum crescent hoste labores,  
Vincendiq; animus somnia uana trahet.  
Nos simulante fugam pede retro terga feramus,  
Ut superata metu pectora nostra putet.  
Ludibrii illectus spe donec ouabit inani,  
Et sibi promittet parta trophœa furor.  
Tunc sua conuertant nostræ improuisa phalanges:  
Spicula, & in nosmet concita castra fugent.  
Obuiaq; aduersi Martis uexata tumultu  
Obruat æquoreis corpora uictor aquis.  
Robora magnanimas armant insignia Ranas,  
In ualido uirtus corpore uiua uiget.  
Qua dare præcipitem, summo de littore, turbam,  
Fido erit exigui Marte laboris opus.  
Nos fortuna loci coeptis fautura iurabit,  
Viribus & docta quæ magis arte ualet.  
Nostra phalanx prenas deformi crine cateruas  
Cum galeis, fluctu qua ruit æquor, agat.  
Læta serenabit fidum fortuna laborem,  
Pugnandiq; oneri dulce leuamen erit.  
Nosq; coronabit lauro uictrice triumphus,  
Et domito in patrios hoste reducet agros.  
At Mus insuetos lugebit in æquore casus,  
Allatura necem fluminaq; ore bibet.  
Quem natura uetat pedibus sulcare profundum,  
Et cui cæruleæ mors erit haustus aquæ.  
Quiq; est artis inops, hirtos, iactare, lacertos,  
Irato ueniet præda cruenta salo.  
Abnegat infauis fors illum muribus usum  
Aspera, nos undæ munere larga beat.  
Plura loqui haud uulgi Phylsignathon ira furorq;  
Accensus rabidi Martis amore sinunt.

Sanguinis en cæco, cupidus, oratio suasu  
Pro patriæ, mentes, armat honore suæ.  
Infractos animos metus & fuga cauta futuri,  
Successum, exitij, spe meditante facit.  
Tecturisq; hosti patriam concurrere turmis,  
Quamq; minæ intentant uim prohibere monet.  
Occasura foret qua gens, regniq; potestas,  
Marte pedem aduerso ni procul acta ferat.  
Haud mora, seruandi studium, parat arma, salutem,  
Inq; recens uires ira ministrat opus.  
Armatum teneræ est crus lento cortice maluæ,  
Namq; illis uiridans ocrea germen erat.  
Calceus ossa pedis crassi prius herbeus armat,  
Libera ut intorto uerbere Martis eant.  
Pectora ceu thorax circundat beta uirescens,  
Accinctuq; latus munit utrumq; suo.  
Pro clypeo gestat gens caulem industria agrestem,  
Ictus qua uigeant excutiente manus.  
Hactam dextra petit iuncum crudelis acutum,  
Cuspide præfixa qui bene longus erat.  
Infestata, acie tenui, qui membra secaret,  
Letæq; daret uulnere uicta neci.  
Concha marina suo dat formidabile nutu,  
Quam decorat cristæ pluma superba, caput.  
Arma parant animos, crescitq; iuuamine uirtus,  
Spes graue uincendi credula calcar habet.  
Iamq; armata cohors animoq; & robore gliscit,  
Conferere hostili cum legione manus.  
Militis instructum dux cultu examinat agmen,  
Exploratq; uafra uiribus arte pares.  
Hos alias circum ceu murum collocat alas,  
Militiæ ut sociæ robore uallus eant.

Corde



Corde colente micant sociatae pacta cohortes,  
Cuiuslibet alterius uisa salusque sua est.  
Collis apex medij uicinis imminet undis,  
In freta qui praecipuus alta cacumen habet.  
Emicat hanc uulgus clypeo fulgente coruscum,  
Impavidumque hostis uim Furiasque manet.  
Nubilaque armorum strepitu luctata tremiscunt,  
Tot peditumque poli concutit astra fragor.  
Vibrando, Herculeas iam uires quilibet, hastam  
Arguit, immunem seque timore probat,  
Nullus adest animo miles profitente pauorem,  
Hostica dum nondum conserit arma manus.  
Hoste minas geminat nondum apparente proteruas,  
Execrante petens militis ore decus,  
Esse peremturum se millia iactitat unum,  
Aucturumque truci nomen opesque manu.  
Cum duce staturum consorti se esse laborum,  
Halitus extremus donec ab ore fluat.  
Et iaculo acturum meditato praemia Mures,  
Molitosque odio grande furente nefas,  
Iupiter haec supero forsitan conspectat Olympo,  
Martius in terrae quae furor orbe gerit.  
Extimet Aetnaeos haud tanto horrore Cyclopes,  
Illius hinc quanto corda tremore stupent.  
Militis innumeri uiolento turbidus auso,  
De superae dubitat penes salute domus.  
Sed mens alma metu dextrae haud oblita potentis,  
Haec caritura raris uiribus ausa putat.  
Militiae rabiem, iacto, argutumque fragorem,  
Fulmine compesci posse tonante uidet.  
Ardua sydereum reserat qua semita olympum,  
Et locus aethereo peruius axe patet.

Iupite

Iupiter hęc Superos clamore coegit amicos,  
Spectatum rabidi cœpta furoris opus.  
Se monitore iugo cœli apparentibus uno,  
Verba gemente malum corde resorpta facit:  
O dñi cura regit mecum quorum æthera nutu,  
Et terrestre pari iureq; uicq; genus.  
Viribus ô nîmîs Ranas armante tumultu,  
Castra tuens stupido corde cruenta steti.  
Me Furijs acti populosa frequentia uulgi  
Turbat, & orfurus prælia dira furor.  
Ranæ etenim aut multo maclabunt uulnere Mures,  
Aut regno exitium strage ferente cadent.  
Millia Mars glomerans tot in orbem cædis amator,  
Funesta armigeras instruit arte manus.  
Qua rabies animo furibundo mota cruorem,  
Edere gauisus funus amorq; litit.  
Affectare domos, ausis, æquanda, Deorum  
Prælia, Centuris, ira caduca parat.  
Namq; carens tantas fracturo robore uires,  
Ardor ab exitio non alienus erit.  
Rebus ademturo gens motu insana salutem  
Gaudet, & irati nil Iouis arma timet.  
Verum damna penes quos uim sedare daturam est,  
Excisura pium, Dii prohibete, genus.  
Dedita par curet precor agmina gratia Marti,  
Aequus utramq; regat militiamq; fauor.  
Qui fore uictrices haurit præfagia Ranas,  
Adiutor dubij Martis & ire cupit.  
Dilectæq; parat qui turbæ augere uigorem,  
Et patrio dono ferre laborat opem.  
Hostiliq; globum tortum auertisse lacerto,  
Corpora præsidio cara tuente uolet.

Cuiq;

Cuiq; beare, manu parto adiutrice triumpho,  
Carum animo uulgus cura laborq; subit.  
Aut gerere arma p̄i quem Muris amore uoluntas,  
Aut infesta nostra bonis bella iuuare, facit.  
Qui Ranas, odio, nece dignas iudicat, ausi,  
Quo Murina tulit damna cruenta domus.  
Signa animi edat, opem hic utrius nuncia parti  
Laturi, auxilio quam releuare iuuat.  
Verum iuris amor, superos cœlestis utrisq;  
Vim tribuisse parem laude fideq;, monet.  
Cura quibus mundi status est rerumq; labores,  
Damna leuaturum cor, pietasq; decet.  
Ergo pares numero turbam foueamus utramq;  
Desinat arbitrio lisq; diremta Deum.  
Ut finem armorum sine flictu pace potitum  
Turba sequens patrios læta reuisat agros.  
Neue sui humescant fuso arua cruore coloni,  
Pressaq; funerea mole gemiscat humus.  
Iuppiter ore dat hæc præfago dicta futuri,  
Vxorisc; animum discit, & orat opem.  
Consiliuq; rogat lapsuris utile rebus,  
Fulturumq; duas pace uigente domos.  
O socio alma louem dignata uirago cubili,  
Gens (ait) utra prior sit tibi Iuno refert:  
Ne tege consortem thalami laudumq; tuarum,  
Pectus utri aucturum robora fida geras.  
Adfer opem, mauult utri prodesse uoluntas,  
Auxilioq; tibi Iuppiter arma geret.  
Verum armare paras molitos, crimina, nutu  
Mures, tam decori, perniciofa, tuos  
Quos temerare sacras nihil atris sordibus aras  
Polluere, & fœdo nil pede templa pudet:  
G Hæc

Hæc, quorum impietas gaudens, habitacula, furto  
Vendicat, illorum teq; perosa Deam est.  
Conculcata pedum saltu tua sacra maligno  
Et morfu fædant omne necante decus.  
Vnde tuum obscæna pollutum aspergine pepulum,  
Sordidiorq; illo stercore palla riget.  
Hæc à peste decus tibi nullum immune repostum est,  
Dente uorax terebat claustra tenace genus.  
Religio his adimit contemptum nulla Deorum,  
Sed securi iræ nos nihil esse putant.  
Nulla intacta sinunt odio libamina nostri,  
Occultata adytis quæ manifestat odor.  
Hæc tibi digna mori petulantia sæua ministret  
Arma, quibus pœnas ausa proterua luant.  
Arguat ira Deam delictum morte piamem,  
Quo priuant merito numen honore tuum.  
Inferos diuim manifesto crimine famæ,  
Supplicio extingui commoditatis erit.  
Ni, tibi qui pariunt inimica clade dolores,  
Forte iuuare manu uim patiente pares.  
Iuno uiro hortanti tam dira piacula demi,  
Hæc responsa graui tacta dolore dedit.  
Opater orbe regens super ætheris astra citato,  
Auxilio Mures ut mea dextra tegat?  
Ira fauere tuo quibus impedit excita suasu,  
Iuno odijs nullo quos monitore premit?  
Furtiuasq; meas qui fædant fraude coronas,  
Et petiere suum mystica liba cibum?  
Et quibus aëri liquor exorbetur oliui,  
Mollia quod dulci labra sapore rigat,  
Haud damno acta sinet miseram uexante uoluntas,  
Propicias Diuam semper habere manus.

Hoc

Hoc uero facinus nimum mea pectora rodit,  
Clade meas turpi quod uiolauit opes:  
Purpureum & gracili peplum subtegmine nera  
Huic inerat Diuum dignus amore decor.  
Mus ita dente lues quod polluit atra proteruus,  
Ut laceris filis pendeat omne latus.  
Stamine quod radius tenui olim textit eburnus,  
Virginea artifici pingit acuq; manus.  
Artis opus mirae, solido & praestantius auro,  
Vfus in hoc dominae carus eratq; suae.  
Vndiq; contritis quod partibus exuit usum,  
In nihilumq; operis forma redacta iacet.  
Ipse decor uicio speciosus honorq; recenti  
Squallet, inersq; situs fila caduca tegit.  
Prisca iacet species, pro qua modo squalor inharet,  
Proq; nitore rigor munera tristis habet.  
Contuitu haud dignum matronae crimen honestae,  
Illius utilitas quo uiciata perit.  
Sed quia non uno fors aucta sinistra periclo,  
Simplicis infelix causa nec hora mali est.  
Simplice ne damno Iuno uexata gemiscat,  
Muribus inuisam me dolus alter agit.  
Neuimus hoc ex quo nos olim stamine peplum,  
Utendum affinis Diua rogata dedit.  
Quod cum iure suo post tempora parua reposcet,  
Pulsabitq; meas me monitura domus.  
Heu turpi faciem suffusa pudore rubescam,  
Impediet uocem muta q; lingua metu.  
Cum monitu usuramq; instans aeq; exiget amplum,  
Et laceri squalor muneris ater erit.  
Et temerata Deae fædo cum licia morsu  
Consilij & stamen turpe reposcar inops:

G ij

Sordide

Sordibus, aspiciens quod uix agnosceret, opertum,  
Iraque materiam litis acerba dabit.  
Damna repensari dum diuite postulet auro,  
Offensaque mei causa frequenter erit.  
Hac quia lege mihi hoc subtegmen commodat olim,  
Mutua ut utilitas esset utrique Deæ.  
Sed gens assiduo me expilet ut inuida furto,  
Clade docente grauem nequitiamque premat:  
Haud tamen idcirco solum mea iura perosis  
Muribus, infestas comparat ira manus.  
Quin Ranas etiam damnat par culpa proteruas,  
Qua bene sprete meum numen honosque iacent.  
Non utriusque sacer cultus me gentis honorat,  
Sed mea contemptu squallida templa rigent.  
Muribus & ranis æquè mea læsa potestas,  
Vtraque supplicio est noxaque digna pari.  
Nuper enim ambrosiæ dum fessa labore quieti,  
Gramineisque toris, dedere membra lubet,  
Corda fatigasset cum cura dolorque diurnus,  
Et nitidum exigeret uespera sera diem.  
Speratum ceptant ululatu arcere soporem,  
Utque preci, somno non tribuere locum.  
Qua uarijs picti certabant cultibus agri,  
Quaque uirens genio luxuriabat humus,  
Naturaque imitans ornatu Thessala Tempe,  
Amne decorus erat murmura dante locus:  
Irrogat & leni somnum artibus unda susurro,  
Apta quieturæ strata dabatque Deæ.  
Hac oculos somno teneras declino per herbas,  
Molle torique usum gramen, humusque dabant.  
Mole fatigatas operum sopor occupat artus,  
Iamque rigaturus debile corpus erat.

Sed

Sed quia uicinam Ranæ incoluere paludem,  
Insomnem strepitus, dirus & horror agit,  
Integram peragunt somni indiga lumina noctem,  
Namq; quies nimio murmure pulsa fugit,  
Cum iuuenes numero multos quondam una uoluptas,  
Et studij lusum cogit agentis amor,  
Hæc uelut arguto luctata caterua tumultu,  
Insurgente poli concitat astra sono:  
Terrificis Ranæ sic corda fragoribus angunt,  
Attonitæ curas nocte fouente Deæ.  
Horrida iam facies quia texerat undiq; terras,  
Et stupor, in tenebris nil nisi, grandis erat,  
Iamq; profunda quies totum sepeliuerat orbem,  
Astraq; cælabant obruta nube iubar.  
Vocis ubiq; feris somno organa clausa silescent,  
Perpetuum Ranæ guttura murmur amant,  
Nulla feros illis ululatus tædia tollunt,  
Has natura rudis lactat amore soni.  
Nox citius uastas rictu, quam murmura, fauces  
Deficit, has onerat nil ululare labor.  
Illarum assiduo luctantia murmura plausu,  
Heu comperta meo conqueror esse malo.  
Nox quia uisa decem est mihi longior una diebus,  
Damna torus somni qua meus ampla tulit,  
Me miseram exanimos rigor ingens hauserat artus,  
Cumq; metu pectus creuit agente dolor,  
Ipse timor uetuit lassatum uertere corpus,  
In folij strepitu mortua penè fui,  
Nocturno timui uolitantia spectra tumultu,  
Subiecto occubui frigidiorq; solo.  
Surgere de strato Stygijs luctata tenebris  
Nox, animum carpens horror abire uetat.

Gaudia tam misere dilapsæ noctis agendo,  
Omnibus eueniant hostibus opto meis.  
Debile pro somni cerebrum utilitate dolores,  
Aerumnas odio parturiente tulit.  
Donec adesse diem cantu cristata uolucris  
Arguit, agricolis in graue ruris opus.  
Spes cum luce recens oritura uiua refulget,  
Et cum nocte labor tristis eunte fugit,  
Aegralicet morbo, quo mentem insomnia torlit,  
Penè salutis inops, mensq; uigorq; foret.  
Sorte tamen dura quassum super astra leuauit  
Corpus, ad assueti fulcra tuliq; tori.  
Atria hic exhibuit cuncti secura fragoris,  
Aq; mouente metum tuta sonore locus.  
Quæ nullo rerum strepitu motuue laborant,  
Vir nisi cum fulmen uibrat ab axe meus.  
Telaq; sulphureas edentia fulgure flammæ,  
Aetheria in montis torquet ab arce iugum.  
Tunc commota poli modo fundamenta tremiscunt,  
Conculsoq; ingens cardine nutat onus.  
Tunc subiecta quatit uis sustentacula Olympo  
Mole sua, casum Coëlicolæq; timent.  
Marmoreum ut tetigi thalamum cultuq; beatum,  
Vtq; hera sum strato reddita lassæ meo:  
Ambrosio potior curis exercita somno,  
Fessa grauiq; sopor corda labore rigat.  
Membra quies succo restaurat alente uigorem,  
Et reparat fotu robora fracta suo.  
Sed mora ne pugnas uetet aspectare futuras,  
Augurij summam disce marite mei:  
Cæde uacare Deum truculento & foedere dextras,  
Sperandæ ratio plena salutis erit.

Ambiguo



Ambiguo Maiors uiolentus dimicat ictu,  
Cumq; hominum cætu sauciat ense Deos.  
Declinare mali causam, euentusq; Deorum est,  
Et Stygiæ exortes cædis amare manus.  
Ambeat hos Orci Pluto regnator honores,  
Quem scelerum autores, diraq; pacta iuuant.  
Quæ uitare penes te iure posita facultas,  
Damna pati amentis pectoris omen habet.  
Continuat dubia uis Martia sorte tumultus,  
Parcit & haud ulli quem tetigisse potest.  
Terra gemat bello, pax diua triumphet Olympo,  
Arma iuuent Ranas, cura quieta Deos.  
Hæc Martis rabies populos nunc armat utrosq;  
Obuia ut ense mori cuncta domante uelit.  
Pectora pugnandi succensa libidine gliscunt,  
Nam sperati animum cæcat honoris amor.  
Quin spectare Deum furiosi ludicra uulgi,  
Securum ætherio numen ab orbe iuuet.  
Hæc maestata truci numerarier agmina Marti,  
Et regere euentus iuris amore decet.  
Illa uidere metus animo securo uoluptas,  
Deliciasq; rei causa mouentis erit.  
Hæc iaculaturis mirari spicula dextris,  
Agmen ouaturum Dijs sine clade licet.  
Vulgus in aduersum ut uiolento serupeus ictu  
Tortus humi sternat corpora tacta globus.  
Sic Mars quæ faciet superatis uulnera membris,  
Nil læsura Deos esse dolore putes.  
Acta cohors Furijs quibus est motura cachinnum,  
Materiam euentus ridiculicq; dabit.  
Arguet Herculeos animos hodie ardua uirtus,  
Vulneris in paruo corpore, mota metu.

Præua

Præualido mortis fuga robore muniet artus,  
Altera suppetias cui comes ira feret.  
Hos adhibet monitus Iuno, cui cætera paret  
Turba Deum applausu pacis amante decus,  
Eloquio oblectat superos spes mota diserto,  
Et desiderium cuilibet acre ciet.  
Digna tot arbitrio Mauortis ludicra Diuum,  
Ictibus alternis Ranaq; Musq; furit.  
Iam conferturas spectabant arma phalanges,  
Concita funestis clanguit aura tubis,  
Reddidit attonitos litis hos immensa cruoris,  
Et vulgi feritas, qua furor arma gerit.  
Quam prius euertat mirantur pugna cohortem,  
Ranane successu Musue beatus eat.  
Vtraq; gens animos rabie profitente cruentos  
Seuit, & hostili spirat ab ore minas,  
Cœlesti exanimant uisu horrida sede potitos  
Facta, ferusq; quatit pectora diua stupor.  
Incoat infaustum uehemens opus impetus armis  
Inuiso faciat seq; cruore cohors.  
Auspicium pugnae sonitu signante tubarum,  
Classica per uulgus mobile pulsa strepunt.  
Instigant læto turmas taratantara plausu,  
Crescit & instinctu corde iuuante furor:  
Hyberno culices per inania grandine plures,  
Muneris istius turba ministra uolant.  
Hi lituos inflant ad bella cienda paratos,  
Horrifico clangunt æra canora sono.  
Aura tubis resonat, clangore resultat olympus,  
Bellica uis multa cæde cruentat humum.  
Conflictu rabies hostem uexante tumultus  
Sydera pulsantes celsa fragore mouet.

Au su

Aufuroq; animo dubium affectare triumphum,  
Quo tamen aduersa est ui spoliata furit.  
Armatum iaculo bacchata Tyrannis in hostem  
Obuia ducentem castra phalanga quatit.  
Tam fera spectantes animorum incendia Diuos  
Exerc et gelido percita cura metu.  
Iupiter exortos increbrescente tumultus  
Marte, pauens pugnae fata futura dolet.  
Verum auso offensi quo numinis arguat iram,  
Fractaq; non ullo corda timore probet.  
Igne micans trifido uacuum deiecit in orbem  
Fulmen, & horribili dextra fragore tonat.  
Ominis infausti hoc ferale coruscat olympos  
Fulgur, & horrendus stridor ab axe sonat:  
Terruit hoc mundi strepituq; sonoq; colonos,  
Brutaq; sollerti quae ratione carent.  
Conferto hostis agens exercitus agmine turmas  
Attonito coeptum corde relinquit opus,  
Nam folij in morem Zephyro spirante tementis,  
Igne fatigat iners territa membra stupor.  
Quamq; manus sonitu mentem exercente remittit,  
Puluerem inscribit protinus hasta uiam,  
Esse putat miles se iacto fulmine tactum,  
Ignarusq; sui deserit arma metu.  
Spem ratus afflictæ hic nullam restare salutis,  
Degener à cætu bella gerente fugit.  
Ille uerens hosti fauenticibus adfore dextris,  
Iratis pauido supplicat ore, Deos.  
Hic euasurum dubitans de millibus unum,  
Promptus adest fato sponte uolente mori.  
Seq; reuisurum patriam desperat ademtam,  
Progeniem uultus & simulachra sui.

H

Ille

Ille Iouem tonitru dispescere castra paratum,  
Et iaculaturum fulmina plura putat.  
Vastatoq; diem hunc celeraturum orbe ruinam,  
Machina qua mundi debilitata ruat.  
Agmina susceptas socia ante occumbere pugnas  
Somniat hic, uictum seq; professus adest.  
At cui cura salus, qui sospite abire laborat  
Corpore, damna fugæ spe metuenda leuat.  
Quæ cumularet iners mora cursu præpete lenit,  
Vitat & auxilio fata tremenda pedum.  
Dantis terga fugæ certatim exempla sequuntur  
Signiferi bello dedita turba nouo.  
Desperabundo uexilla uolantia plausu  
Deseruit gemitu stare monente Ducis.  
Nec fidei memor est, dextræ quam pacta requirunt  
Ignea corde Iouis tela tremente cohors.  
Ut ualeat cursu miles leuiore fugatus,  
Abijcit in medias arma pudenda uias.  
Corpus inutilibus iam oneratum liberat armis  
Mus uolucer, uitæ dum pede quærit opem.  
Hanc solido, incolumi potiore uisu æstimat, auro.  
Vulnere qua rebus nulla cadente salus.  
Quæq; semel uacuas fato expirata sub auras,  
Ut prece sic precio non redimenda perit.  
Humano decus est reparabile corporis astu,  
Omne quod externi splendet honore boni.  
Sola animæ morbo uis exhalata caduco,  
Non reuocaturæ pharmacon artis amat.  
Prouidus hoc miles dum ponderat arte periculum,  
Afflictum auspicij mente statumq; dolet.  
Latali esse malum periuria mitius ictu,  
Quàmq; mori satius terga dedisse putat.

Militiæ

Militiæ stricto dispescuit ense micantis,  
Horrisoni tonitrus millia multa fragor:  
Hic uex illiferi prostratas fulmine uires,  
Sulfureoq; ustum iudicat igne caput.  
Cervicem sese tacturi contrahit ictus  
Ille metu, rigidas concutiente comas.  
Agmina per campos dispersa uagantur apertos,  
Nulla suaq; cohors in statione manet.  
Martius horribili tubicen disiecta tumultu,  
Conuocat ære cauo, st ære q; castramonet,  
Nuncia captandæ pugnae data signa trifulco,  
Asserit igne Iouis, non monitura fugam.  
Heu profugum uulgus, quod inanis terror agebat,  
Appropere gradum uix pudor inde sinit.  
Scutato hostiles qui pectore terruit alas,  
Armis exuto corpore miles adest.  
Horridus ex acie gladio qui fugit acuto,  
In loca iussa latus Martis inerme refert.  
Nam pede dum uitat fugituo damno citatus,  
Quæ mens mentito somniat acta malo.  
En thorace fugax uulgus denudat aheno,  
Membra datis armis exoneratq; metus.  
Exciderat cursu rapido ensis & hasta uolanti,  
Quorum utilitas tempore nulla fugæ.  
Suffulis geminum hæc iactura pudore periculum,  
Ad certamen idem cum rediere, mouet.  
Cœli acie socijs non hoc stridore fugatis,  
Ludibrio pœnas iura sequente luunt.  
Deinde hostis furias deesse instrumenta uetandi,  
In sua conuersas uiscera turba dolet.  
Vnde iubente metu damni socium irruit, hastam  
Quem prope se timida spectat habere manu.

H ij

Hang

Hanc sibi ceu proprio ut uendicat ære paratam,  
Mentitisq; suam comprobat esse notis.  
Arguit ille dolos, & iniqui culpat amorem,  
Indicioq; fidem uerbere dextra facit.  
Instat ut impostor spoliū ereptare neganti,  
Lassat & obstantis robur ouante manu.  
Condit in illius capulo tenus ilia ferrum  
Mancipij tutor iure monente sui.  
Ipse dolens fati simili iram uindicat auso,  
Acer & it uindex hostis in ora sui.  
Inuisam autoris facti faciem ungue cruentat,  
A lacera raptat fronte manuq; comas.  
Dum capiti colaphis intentet tubera duris,  
Ictibus infestans fauciat ora manus.  
Atq; genas lacerans turpi liuore notatas,  
Crudeli digito labra cruenta facit.  
Hæc leuitas belli socijs dum læua ministrat  
Arma, sui cætus membra furorq; premit.  
Castra recollegit, restaurauitq; caducam,  
Spe redeunte nouis uiribus, hostis opem.  
Impetus hunc animi crescente uigore parati  
Ordire pugnam sorte fauente rapit.  
Dissidio unde moram sparsim nectente uagatos  
Vnanimi in pedites agmina Marte ruunt.  
Capta dolis maectat nudato corpora ferro  
Fœdere promissa freta Tyrannis ope.  
Hæc terrore uagæ fortuna cohortis inani  
In seriem reuocat castra fugata suam.  
Spes aciem fati iterat melioribus utens,  
Crescit & instanti uis animosa malo.  
Sorsq; sinistra suæ pugnare salutis amantes  
Fortiter & uires exeruisse monet.

Ictibus

Ictibus armigeros pars obijcit una lacertos,  
Altera sanguineo dimicat ense cohors,  
Robora uincendi mouet impetus acria cuiuis,  
Auxilium concors grandeq; feruor habet.  
Forſitan abſtulerat casus quibus arma pudendus,  
Cumq; manu dederat curſus inerme latus.  
Quæ natura malum dabat instrumenta fugandi,  
Hostis in inſidias oppoſuere ſui.  
Vindicat hic uulnus facientia uerbera pugno,  
Cladis & illatæ qua ualet ultor ope eſt.  
Impetit ille hostis faciem ungue cruentus obefam,  
Vexat iners preſo crine ſed ille caput.  
Arripit hic mediam minitantem ſpicula Ranam,  
Et pugilum euertit moreq; uicq; ferox.  
Proſtratamq; neci domituro Marte daturus  
Guttura ſanguinea ſtrangulat atra manu.  
Exuuiasq; rapit quibus artus munit inermes,  
Et ſpolio diues uictor ab hoſte redit.  
Prælia uulneribus feruent quaſſata cruentis,  
Miſtus it in uiridi ſanguine riuus humo.  
Acriter ambigui certatur amore triumpho,  
Armorum ſtrepitu nubila quaſſa crepant.  
Verum militiae numerum ſeriemq; referri,  
Et finem pugnae principiumq; iuuat.  
Hypsiboas regni Licehnora iure potitum,  
Martis ad alterni ludicra docta uocat.  
Incoat impulſu hic generoſæ prælia mentis  
Heros quem fato Regius ornat honos.  
Elatumq; animo ſecuro uulneris hoſtem,  
Impetit orſuro uerbere Martis opus.  
Impauide aduerſis Lichenor obuiat armis,  
Eq; acie telum caſtra tegente iacit.

H iij

Quod

Quos tamen incerto iactu præteruolat artus,  
Tangere quos iaculo spesq; furorq; parat.  
Incolume hic duro subducens corpus ab ictu,  
Improba uictrici uindicat ausa manu.  
Viribus insignem clarumq; potentibus armis,  
Purpuream ense animam præripiente quatit.  
Corpus acuta ferit celerantis uulnera ferri  
Cuspis & in medium transuolat acta iecur.  
Absecat internis hinc condita uiscera claustris,  
Excruciatq; grauis saucia membra dolor.  
Virificum rabies cruciatus dira uigorem,  
Latiferum morsu uirus alente terit,  
Ceu hos occubuit collum feriente secuti,  
A Ioue ceu quercus fulmine tacta labat.  
Mole genu flexo sic corpus agente caducum  
Corruit, & rigidam sanguine foedat humum,  
Brachia tormentum conata retundere mortis  
Iactat in immitti iam moritura solo.  
Membra atrum proprio foedata cruore rigorem  
Nacta, ferè faciem mortis imago tenet.  
Horrendo obliquat morientia lumina tortu,  
Toruaq; uis uultus proxima quæq; fugat.  
Donec eat gelidas animæ resolutus in auras  
Naturæ leto uim uariante uigor.  
Donec alentis inops spiracula uiua caloris  
Euomat, & uenas squalleat ater humi.  
Troglodytes orsu notat excita fata sinistro,  
Funeris ultrices instruit arte manus.  
Sacra memor quondam sociantis foedera dextræ,  
Extincti socij luget amore necem.  
Sors miseranda fidem dignam uel fratre requirit,  
Qua fraudante salus pacta uerenda perit.

Peliona



Peliona gravem bellis, usuq; regendi,  
Imperij molem iustaq; scepra, ferit.  
En iaculum intorquet vibrante volatile dextra,  
Hac pars quia galeæ nudat aperta comas.  
Sed quia non ictus uis edomat unius ipsum,  
Alterius subito uulneris auctor adest.  
Impetus in miseri præcordia condidit ensem,  
In calidiq; acies cordis adacta locum est.  
Euertiq; manus contraria in arma parantem,  
Conatumq; necis Marte uetare dolos.  
Arboris in morem mors occupat atra labantem,  
Vita leues auras morte soluta petit.  
Prælia continuat gauisa cruore tyrannis,  
Funera crudeli multiplicantur ope.  
Embalsichytron acus instar Seutlæus agentem  
Ferrum aduersa minis cogit in arma ducem.  
Voce læcessitum crudelia fata minanti  
Sauciat intorto uiribus ense furor.  
Spiritus exhalat cum uulneris imbre recentis,  
Letæumq; necat faucia membra gelu.  
Artophagus casum cari miseratus amici,  
Hostibus insultans arma cruenta quatit.  
Inflatum tumidas buccas Polyphonon adortus,  
Illius ancipiti uulnerat ense femur.  
Casus, iners prona tergum ceruice, supinat,  
Et spoliū moriens abijcit arma manus.  
Semianimumq; recens, rigida tellure uolutat  
Corpus, & expoliat membra uigore, dolor.  
Vulnere læsa graui singulant organa mentem,  
Luridus in faciem morte dolorq; uenit.  
Debita uulturibus fit edacibus esca cadauer,  
Exuuijsq; hilarat hostica castra suis.

Limnochares

Limnocharis spectans socij fera fata laborum,  
Mente necem ulcisci iuris amante parat.  
Rure molare manu saxum torquente leuatum  
Troglodyten ictu membra domante quatit.  
Ossa, latens capitis sub fornice, fracta, cerebrum  
Spargunt flos animi quo pereunte iacet.  
Nox oculos uicio cœcat Letæa grauatos,  
Ultimus hasq; preces halitus ore sonat:  
O Dii dextra quibus uindex scelerumq; doliq;  
Vos necis ultores arguat ira meæ.  
Reddite postremo faciles ea munera uoto,  
A quibus haud quicq; post mea lingua petet.  
Læsum perfidia pœnas odiumq; merenti,  
Vindictet insidias dextra perosa, genus.  
Pro patria uitam superantibus exuor armis,  
Quæ me tuta malis sceptrâ cadente regat.  
Et fato augustum iusta arma iuuante trophœum,  
Ultima uota precor me faciente, ferat.  
Guttura pacis opus mors strangulat atra precanti,  
Et uiolata dolo cum prece uita perit.  
Illius assistens lateri Mauortius heros  
En animi specimen pacta uerentis obit.  
Alleuat abiectam socij indignantius hastam,  
Mens qua freta uiro robur equestre mouet.  
Namq; fuga huic proprium communis ademerat ens  
Cœteraq; arma metu motus ab axe fragor. (sem  
Haud tulit ira moram, Ranae hastam Marte minaci  
Lubrica per uentris compulit exta manus.  
Vulneris eructat Stygium de fonte cruorem,  
In uaeuas auras se tenuatq; calor.  
Heu perfusa gelu letali membra rigescunt,  
Proq; rubore tenet luridus ora color.

Crambo

Grambophagus fato geminante pericula fractus:  
Ominaque euentu dira serente stupet.  
Littore desiliens caput æquore condit in imo,  
Attonitoque malis dat loca tuta fretum.  
At commissa suas quoniam periuria poenas,  
Lege Deum comitans suppliciumque manent.  
Fata Charybdæi dum uult euadere monstri,  
Scyllæam rabiem pes fugitiuus adit.  
Prospiciens unda motus stridore tubarum,  
Et strepitu armorum pectore stringit aquas.  
Ut uideat socios quæ nunc fortuna sequatur,  
An dubium applausu fausta serenet opus.  
Prælia spectandi cupidus caput exerit undis,  
Exterior ceruix crassa uadoque natat.  
Pugnæ affine loco prope littus flumen arantem  
Mus notat, occuluit quem dolus ante lacum.  
Cœcum animo, & notos iterantem, horrore, natatus,  
Inguine in obscœno uulnerat ense latro.  
Sanguine foedatos anima dolor exiit artus,  
Ferre ictuque acies corpus acuta necat.  
Turbine quod fluctus rapido iactatur aquosi,  
Et mare purpureum penè cruore facit.  
Credibili manus uis fecerat impia uulnus,  
Eiectata fretum uiscera labe notant.  
In socij membrum Limnesius agminis ausi  
Ultor it, experiens robur in hoste suum.  
Namque animo incautum trepidante Tyroglyphon armis  
Traicit, & Stygiæ membra dat ense neci.  
Sic uindex socij it fato arma regente peremti,  
Adque suos spolijs faustus honore redit.  
Tâm dubio extimuit Calaminthius orbe uagantem  
Sortem, uicta metu terga fugæque dedit.  
Pternophagum aspiciens prominentem tela pharetra,  
Cœtera cum clypeo proijcit arma fugax.  
I In mare

In mare se iaciens fundum, pede, gurgitis imum,  
Membra neci instanti, surripiente petit.  
Non est usa quibus, spoliū hosti dextra secuto  
Arma dat & nihili iura, fidemq; facit.  
Eripit ausa nefas illum hoc industria leto,  
Exuuijs uacuo corpore sospes abit.  
At fidas animo uirtutis amante professus  
Vires Hydrocharis stare scit esse uiri,  
Tempora, Pternoglyphum, saxo quatiente, fatigat,  
Et iaculi uictrix dextra triumphat ope.  
Vis quia tanta caput galeatum uerbere pulsat,  
Hoc ut & euersus miles agatur humo.  
Et fractis ictu pars ossibus uida cerebri  
Ex adyto uitæ mista cruore fluat.  
Euentu pugnam uario fortuna gubernat,  
Concidit hic dubio Marte, sed ille ualet.  
Lichopinax uirtus quem conscia roboris armat,  
Ordine poscenti prælia fortis adit.  
Confodit ecce trucem conspectu Borborocœtem,  
Cum duro tumidum qua coit ossa femur.  
Prasiphagus uario geminata pericula casu,  
Ne damnosa sibi sit mora longa timet.  
Cnissodioctæ igitur comprehensans crura salacis,  
Illidit rigido corpus inerme solo.  
Semianimumq; nigras uictor deturbat in undas,  
Strangulat infesta pressaq; colla manu.  
Plicharpax socios ulturo Marte necatos  
Agminis aduersi concit in arma Ducem.  
Namq; ortu illustrem Pelusion acer auito  
Viribus inuadit, membraq; cæde domat.  
Per uentrem in calidum rigidam iecur impulit hastam  
Parte exacta acies oppositaq; fuit.  
Collapsū ante, pedes autoris cædis acerbæ  
Expirat mentem uulnere corpus humo.

Conspic

Conspicit hoc nulli facinus tolerabile Ranae  
 Pelobates, quo non fortior alter adest.  
 Ex olido properans glomeratam stercore massam,  
 Exosi Ranas Muris in ora iacit.  
 Vis oculos, tenerum cœno temerante capillum,  
 Executit heu misero penè maligna duos.  
 Colligit ira graues uexamine concita uires,  
 Quàmq; pati hanc fraudem postulat antè mors.  
 Antiqui saxum, quod habebat limitis usum  
 Tollit humo, & sæuus uibrat utraq; manu.  
 Hoc ueluti murum quatit horrida membra Gigantis  
 Ranae, proq; luto saxea tela mouet.  
 Pes ocreas ictu rumpente solutus ahenas,  
 Et iaculo fractum crus uiolante perit.  
 Ardua ceu uastis fundamine mota procellis,  
 Aut æuo molem turris agente labat:  
 Haud statura secus trahit inclinata ruinam  
 Corporis, inflexum poplite dante genu,  
 At quamuis fracto uix hæreat osse lacer pes,  
 Vulnereq; excruciet saucia crura dolor.  
 Continuat cœstu tamen impigra dextera pugnas,  
 Donec inexhausto uita uigore manet.  
 Craugasides animo fatum miseratus amici,  
 Emicat ex acie, rebus opemq; tulit.  
 Ceu uenator aprum, quem retia tenta retardant,  
 Turba canumue, manu spicula premente domat,  
 Iactantem Herculeas ita uires irruit hostem,  
 Et gladio uitam diripiente premit.  
 Quo penetrante fugax sub apertas spiritus auras  
 Euolat, egeritur cum gemituq; dolor.  
 Sitophagus dubij crescente labore tumultus,  
 Desperat fati bella regentis opem,  
 Parte iugum patuli collis cingebat ab una  
 Præcepss fossa, fugæ quæ uel asylon erat.

Conflictu metuens geminata pericula tanto,  
Corpus in hanc cursu præcipitante fugit,  
Vnde uolutatus prærupto è uertice lapsu,  
Confracto profugus claudicat osse miser:  
Dum quæ crudescunt effuso sanguine uitat,  
Prælia, adit, turpi quod cauet arte, malum:  
Fautrici socio Troxartes sorte labori,  
Acre subit pleno pectore Martis opus.  
Viribus immanem sternente Physignathon ictu,  
Nodosi in medio poplitis osse ferit.  
Collapsos neruo firmante recolligit artus,  
Et patulum abiiciens insilit arma lacum.  
Conspicit hunc, hostis, prope ripas gurgite nantem,  
Vnde dolo occultus trañcit ense latro,  
Namq; mali instantis securum mente trucidat  
Læsa necaturo uulnere membra furor.  
Sanguineo spectans crescentem Marte tumultum,  
Præsaus fido pectore censet opus:  
En sociam penetrat uincendi ardore cohortem,  
Troxartenq; minis ad graue cogit opus:  
Si qua tibi in uiuo residet modo pectore uirtus,  
Congredere aduerso dedecus ause uiro.  
Haud impune diu, patria cum gente piandum  
In Ranas facinus numine dante, feres.  
Ira ciet uires, horrentem cæde recenti,  
Et fera gestantem perculit arma manus.  
Verbera percusso membro tamen æreus umbo  
Arcet, & elapso corpore sospes abit.  
Flexaq; ferri acies thorace resultat ahenò,  
Ictus & haud ullum uulnus in ære facit.  
Sperantes animat Mures fortuna triumphum  
Successu, & sociam fausta serenat opem.  
En iuuenis, uernat cui florida uiribus ætas,  
Hos inter patriæ claruit arte decus.

Viuida

Viuida cui uirtus generoso pectore uires  
Munere naturæ nobiliore mouet.  
Alter hic Hector erat, similisq; uigore Giganti,  
Immensum sociæ militiæq; decus.  
Populus ut spretas supereminet alta myricas,  
Aut humiles mediâ turris in urbe casas:  
Haud humeros secius supra omnes arduus effert,  
Extat & aërio cellior ipse iugo.  
Rex titulo & sceptri monumento clarus auiti,  
Gloriaq; imperij magna potentis erat.  
Artepibulon eum fato dixere priores,  
Conueniens animi dotibus illud erat.  
Qui uitæ exegit bello haud inglorius æuum,  
Ditâ nam patrij condidit arua soli.  
Hoc, felix ortu Iuuenis, genitore creatus,  
Stemmatis æquârat semina celsa sui.  
Conscia naturæ Meridarpaga fama uocauit,  
Ingenij raptor dotibus acer erat.  
Digna uiro uox hæc castrorum signa secuto,  
Prædandi instructas Mars amat arte manus.  
Bellandi potior reliquis hic omnibus usu,  
Roboreq; huic miles nemo secundus erat.  
Constita gramineo quâ tellus, ripaq; cultu,  
Atq; susurranti ridet amœna uado.  
Constitit hæc iactis armata sub ilia palmis,  
Protinus horrendis intonuitq; minis.  
Euersura genus Ranarum funditus arma  
Concutite xcidium triste minante manu.  
Stagnaq; puniceo fluxura cruore minatur,  
Seq; potiturum uindice forte necis,  
Qua Regis sobolem Physignathos obruit undis,  
Et ueritus Mures nil uiolare fuit.  
Inq; imo adfirmat loca non fore tuta profundo,  
Vim passura uno cuncta sed esse die.

Credibili armabat maior fiducia pectus,  
Demere stagnicolæ Marte cohortis opes.  
Atq; minas essent uel facta secuta superbas,  
Vastanti uitreas hoc domitore casas,  
Hoc nisi diuinis mox sensibus hauriat ausum  
Altitonans, uictis iustus opemq; ferat.  
Talia Ranarum quia tactus amore locutus,  
Damna gemens pugnas corde secuta refert:  
O Dii fida quibus res cunctas cura regendi  
Incumbit, feritas me mouet osa modum.  
Excidium Ranis Meridarpax triste minando  
Exanimat pauidi turbida corda Iouis.  
Nam nisi opem oppressis diuina miserta uoluntas  
Conferet, haud miseris ulla futura salus.  
Si Dijs ergo meum non rebus inutile cordi  
Consilium, atq; status cura ruentis erit:  
Pars orbem terræ consensu electa Deorum  
Aetherio labens ocyus axe petat.  
Ut rabie accensas dirimat cœleste cohortes  
Præsidium, Mures debilitetq; feros:  
At cum Marte Deam mox arma regente Mineruam  
Sydereâ mitti postulat arce decor.  
Assuetas bello uires quibus exhibet usus,  
Et natura quibus sanguinolenta subest.  
Hi procul arcebunt diuo Meridapaga nutu  
Conuictum furijs eripiente genus.  
Hæc effata Iouis turbati lingua silescit,  
Cui Mars responso nil placiturus ait:  
O rerum domitor tonitru, num tanta Gradium  
Vis armat, rabies cedat ut illa mihi?  
Hac impar Marti sociæq; potentia Diuæ est,  
Quam nihil impedient unus & una Deum.  
Unanimi Superos quin cœtu in prælia cunctos  
Fidus ab ætherio limine feruor agat,

Collat



Collapsam domitis bello reparare salutem,  
Coelicolis labor est omnibus illud opus.  
Spe uitæ festinus opem fauor adferat orbis,  
Ne penitus gentem deleat una dies.  
Aut si prompta parum Dijs est pugnare uoluntas,  
Quos immune necis pectus, amorq; iuuat.  
Horrendum igne tonans cieat tua dextra tumultum,  
Ut concussa poli machina tota tremat.  
Torqueat omnipotens uis fulmen ab axe trifidum,  
In uacuo horribilis stridor ut orbe sonet.  
Bella Gigantæos quo Dijs inferre Tyrannos  
Ausos edomuit crimen id ultra manus.  
Enceladumq; Aetnæ flammam eructantis hiatus  
In Superos posthac ne gerat arma uetas.  
Mens assensa Iouis suadenti tuta Quirino  
Edidit arbitrij nuncia signa sui.  
Fulmine motat enim tantum stridente fragorem,  
Ut de uitæ actum castra salute putent,  
Sic quia munitos pharetris exercuit artus,  
Excuteret palmis dirus ut arma stupor. (ardor)  
Quæ tamen arcendi studio hostem iterum alleuat  
Iamq; malo assuescens miles in arma redit.  
Bello absistit enim nec adhuc Murina iuuentus,  
Dextra nec hostili cæde cruenta uacat.  
Sauit adhuc gentem conata piare uoluntas,  
Et molita uigens semper honore decus.  
Marte laborantis, sed gratia dia, cateruæ,  
Liberat acta truci milite castra, Iouis.  
Viribus aduersas domitura iuuamina turmas,  
Exitij Ranis cura miserta ciet.  
Euocat ecce pedum ualituros forpice Cancros  
Coeruleo, Triton ære sonace, lacu.  
Mira Deum instinctu turmatim egressa profundo  
Feruida mandatum turba facessit opus. Quæ

Quæ tergum rigidis oneratum incudibus altè,  
Horrida deformi membraq; fronte trahit.  
Inceditq; gradu flexos curuante meatus,  
Tacturisq; uiris ore minatur acus.  
Vngula curua decus contortis utile membris  
Addit, & arcendis suggerit arma malis.  
Ora intus cortex decorat, cutis addita membris  
Testea, quæ solidant osq; ualensq; uigor.  
Corpora tincta notis humeros rutilantibus ardent,  
Ad mala nervosæ sunt prohibenda manus.  
Pectoris inq; loco radium dat pupula dirum,  
Hac natura oculos parte locante duos.  
Octoniq; pedes horum uestigia pressant,  
Aspectu faciem toruaq; forma tegit.  
Fronsq; biceps illis nulla ceruice coherens,  
Et patula aure carens, & sine crine caput.  
Prensuras carpunt mordaci forcipe palmas,  
Venantiq; manu uix potuere capi.  
Cum Latio appellat caneros quos sermo Pelasgus,  
Naturæq; uadum dote palustre colunt.  
Forcipis illa cohors geminatae uulnera morfu  
Muribus heu caudas arripiente facit,  
Hanc rabiem contra nequicq; spicula tortu,  
Ictibus obsistunt testea dorso, parant.  
Euentu trepidant animi, fatoq; laborant,  
Desperata salus robur inersq; trahit.  
Cumq; haud ulterius uim tantam arcere ualeret,  
Terga fuga instanti sospitat hoste phalanx.  
Pars trepido nemorum cursu palata latebras,  
Parsq; sub aërijs montibus antra petit.  
Hesperium alipedes iam Phœbus in æquor agebat,  
Clausurus radio deficiente diem.  
Quo uehemens alium pariter labente sub orbem  
Numinis auxilio pugna direpta fuit.  
FINIS.

153028

AB: 153028

ULB Halle

3


003 486 044



86

*[Faint, mostly illegible handwritten text in a medieval script, possibly Gothic or Carolingian minuscule. The text is arranged in two columns. Several large initials are written in red ink, including 'D', 'E', 'F', 'G', 'H', 'I', 'K', 'L', 'M', 'N', 'O', 'P', 'Q', 'R', 'S', 'T', 'U', 'V', 'W', 'X', 'Y', and 'Z'. Some lines are underlined in red ink. The parchment is aged and shows signs of wear, including stains and discoloration.]*





PUGNARA  
NARVM ACMVRIVM HO.  
MERI, LATINO CARMINE  
REDDITA ET AM-  
PLIFICATA,

AVTORE  
HIERONYMO OSIO,  
Turingo.



VVITEBERGÆ  
EXCVDEBANT HÆ-  
redes Petri Seitzij.

1556

*Clarissimo Viro D. M. Sebas-  
t. Mathematicum professorij &  
praecceptorij cariss: H.*